BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
33 A
23

M

12-33-A 23

Digitized by Google

276

NIC. BIESII GANDAVENSIS DE REPVBLICA LIB. IIII.

MVLTIS IN LOCIS AVCTI:

L. 1 28


quibus Vniuerſa de moribus Piloſophia continetur.

AD

Illuſtriſ. & Reuerendiſ. D.D. ANTONIVM PERRENOTVM S. Rom. Eccleſiæ Presbyterum, Cardinalem Granuellanum, Archiepiſcopum Mechlinienſem. &c.

Eiuſdem Oratio pro bonis Litteris.





Capuccinorum + Romae.

ANTVERPIAE,
Apud Martini Nutij Viduam.
Anno M. D. LXIIII.

Cum Gratia & Priuilegio.

Donato à Capuccini di Roma dal P. Paolo [illegible] [illegible]

BIBLIOTECA NAZ. V. EMANUELE ROMA

MARTINVS NVTIVS
LECTORI.

QVàm ſit officiũ noſtrum cum publica ſtudioſorũ atq; bonorũ omnium vtilitate cõiunctũ, humaniſſime Lector, quiſq; facilè cognoſcere poteſt, cùm dubium eſſe nequeat, quin temeritatis plenæ ſint res omnes humanæ ſine doctrina, cui librorum commoditas, quam nos exhibemus, optimè ſeruit. Quoniã igitur hoc officio meo rectè fungi cupio, & quantum poſſum in publicum vſum conferre, diligentiã omnem adhibendã mihi puto, in eorum virorũ ſcriptis excudẽdis, quibus videntur ſtudioſi maximè poſſe iuuari, inter quæ viſa ſunt alijs à me debere præferri ea, quæ nondũ publicã lucem viderunt, ac ſine opera noſtra facilè non ſunt in

apertum ſtudioſorum conſpectũ vẽtura. Ita factum eſt, vt eorum amicitiã ſemper diligentiſſimè captarim, quorum ingenia Reip. maximũ fructum videbãtur allatura. Cùm itaq; mihi fuerit vetus amicitia cum Nicolao Bieſio Gandauenſi, poſtquam eius nõ paucos legiſſem libros, quibus meo & multorũ eruditorum iudicio, poſſint ſtudia literarum promoueri, obnixè rogaui, vt eos pateretur à me publicari: qui quanquã diu multumq; reſtiterit, quòd in ijs diceret ſuis deſiderijs adhuc minimè ſatisfactũ, tãdem noſtris precibus victus, inter alios, hoſce quatuor de Rep. libros cõceſſit, quibus aiebat fortunã iuſtum ſuum ornatũ & extremã manũ denegaſſe, quòd alijs neceſſarijs ſtudijs diſtractus, ad hãc pulcerrimã intelligẽdi partem, quã iam diu reliquiſſet,

dein-

deinceps redire non poſſet. Ita fermè nunc fieri ſolet, vt illi, quibus eſt animus ad promouendã cõmunem vtilitatem paratus, impediantur, quò minùs honeſtiſsimi ſui voti cõpotes fiant. fieri verò nequit quin illa Reſp. plurimis obnoxia ſit calamitatibus, in qua viri docti pretium ſuum non habẽt, ſed deſtituuntur ijs, quibus ad prouehendam communem felicitatem eſt opus. Verùm, harum & aliarum præclariſsimarum rerum cauſſas, optime Lector, ex his Libris facilè cognoſces, quos ſi qua ſpero leges humanitate, dabis animum ad alia multa, quæ nihil aliud quã tuam beneuolentiam expectant. Vale.

INDEX CAPITVM.

LIBRI PRIMI CAPITA.

Cap.		
I.	Quid ſit Reſpub.	Fol. 5
II.	Quod ciues mali Reip. ſint vtiles, & quod Reſ. quædam ſint malæ.	7
III.	De Rerump. diuiſione.	10
IIII.	Quod ſucceſſio laudabilis ſit in Principatū.	11
V.	Quod politia reliquis politijs anteferenda.	13
VI.	De bono & expetendo.	16
VII.	De corporis cura.	18
VIII	De educatione puerorum.	19
IX.	De ſpecie boni vel mali.	24
X	De libero arbitrio.	26
XI	De formis rerū anima eius actu & poteſtate.	29
XII	Quomodo voluntas ſit libera.	34
XIII	De ſimilitudine naturæ humanæ cū diuina	37
XIIII	De motibus animorum.	41
XV	De gradibus virtutum & vitiorum.	46
XVI	Quod gratiâ Dei voluntas mouetur.	51
XVII	Circumſtantiæ quomodo mutent actiones.	53
XVIII.	Quomodo virtutes ſunt in habitu.	55
XIX	Quod ſint genera virtutum.	60
XX	De fortitudine.	61
XXI	De temperantia.	63

LIBRI SECVNDI CAPITA.

Cap.		
I.	De iuſtitia.	67
II	Quod ad Deum omnia referri debeant,	69
III	De honore.	71
IIII	De infamia.	73
V	De auxilij ferendi ratione, deque iuſtitia diſtributiua, & commutatiua.	76
VI	De pactis.	82
VII	De contractuum efficiente cauſſa.	87

De

VIII De contractuum materia, & inditijs voluntatis. 90
IX De Supplicijs. 95
X De liberalitate. 100
XI De amicitia & amore. 102

TERTI LIBRI CAPITA.

I De prudentia. 112
II De ſapientia & felicitate. 119
III De ſummo bono. 124
IIII De rebus externis, & imprimis de auxilio divino. 131
V De reb⁹ corporeis & imprimis elemẽtis. 133
VI Temporum & locorum oportunitas quomodo ſeruanda. 135
VII De cantibus & concionibus. 138
VIII Quales eſſe debeant opifices, operæ & opera in ciuitate. 142
IX De nummis. 151

QVARTI LIBRI CAPITA.

I. De ciuium differentijs. 158
II De diuitum & pauperum officio. 159
III De Magiſtratibus. 162
IIII De Artificibus publicis. 166
V De Cenſoribus & Iudicibus. 167
VI De Principibus Reipub. 169
VII De Bello & Militibus. 173
VIII De ordine Eccleſiaſtico. 181
IX De legibus. 185
X De Priuilegijs. 193
XI De Cauſſis mutandarum Rerumpub. 196

Errata ſic corrigito. a primam. b verò ſecundam faciem indicat.

*Fol.1.pagi. b linea.22.alacritate.3.a.25.pertimeſcant.4.
b.23.iudicaueris & .27.iam.5.a. 19.æquitatis.7.b.13. eli-
gendus.8.b.26.perturbationum & tempeſtatum. 10. a.li.
pen.quæ. b.3.ſint.11.a.23.dele,Hæc.b.26.vni prin.13.a.17.
& prin.&.20.reliquas politias.b.28.iunctim.14.a.25.pa-
ris.19.a.4.poſſint.b.13.dele,ſatis eſt manifeſtum.16,matri-
monia.20.a.5. mutentur.b.8.indicijs.21.a. 26. animorum.
28.damnum.22.b.17.belli.29.b.9.dele , &.38.b.26.ordi-
nem.42.b. 28. ſolent. 44.b. 26.cogitationum.45.b.9.vo-
luntate.47.a.7.naturæ.b.14.ſuarũ.48.b.24.ad virt.49.a
2.virtutẽ. 50.b.6.trahãt.53. a.23.potentioris.57.b.19.po
teſt. 74.a.1.cuiuis.75,a.3.autẽ.b.29.autẽ.76.b.4. Quã-
quam 77.a.19.vnis.84.b.9.hominum conſenſu.91. b. 14.
virtutẽ.107.b.21.eum.108.b.14.amare.110.a.8 . amantur
115.a.19.& illam.117.a.5.cũ vero.16.aliquem.121,b. 27.
præſentia ſummi boni.125.a.17. accidet. 126.b.15. allicere-
mur.16.compelleremur.127.b.8.iã.142.b.13.celeriores.145
b.23.tueamur.147.a.14.cogat.148.b 1.quibus.155. b. 20.
tractatione.25.ſit maior.158.b.15. At for.159.b.4.è Rep.
160.a.21.ſinguli.162.b.19.è Repub.&.25. Ait.164.b.26.
nec.192.b.3.legiſlatoris. 195.b.7. Videamus. 196.b.1.rati-
ones.202.b.12.habeat intelligat.204 .a.15.Per Deũ .25.
euertũt.b.18.certè.206.b.21.licet quãti.208.a.27.ſpecimẽ
212.b.12.puritate &.20.pulcherrimarum rerum,*

Index eorum quæ præcipua ſunt in *hoc libro: numerus prior deſignat folia, alter lineas. a paginam priorem, b alteram.*

Actio iudicialis Fol. 94.a
Actiones habēt ſubiectā materiam. 35.b
Actiones ſuapte natura nō cōſiſtunt. 49.a
Adiumenta virtutum & vitiorum. 47.a
Aequabilis conditio hominum. 83.b
Aequabilitas maior in bonis alienis. 84.a
Aequitas inuicta 96.b
Aër quid poſſit. 20.b
Aerarij publici cura 154.b
Aeſtimatio facilis eſt rerum externarū. 80.a
Aeſtimatio rei, locum ſupplet. 92.a
Aeternum ſuapte natura eſſe nequit, quod deficiētis vires habet. 124.b
Affectus prudentiæ contrarij 115.b
Alimēti quotidiani cura 166.a
Amicitia 109.a
Amicitia requirit analogiā geometricam 199.b
Amicitia tantùm inter bonos. 109.a
Amor & deſiderium pulcri in eo quod pulcri cognitionē habet. 104.b
Amoris definitio. 102.b
Amor non eſt deſiderium cuiuſuis pulcri. 104.b
Analogia geometrica ſeruatur in iuſtitia diſtributiua. 77.b
Angeli nobis vtiles 132.b
Animam immobilem ſtatuit Ariſtoteles reliqui motus cauſſam. 33.b
Animorum natura á libertate quomodo diuerſa. 56.a
Animus habet in ſe poteſtatem. 36.a
Animus quomodo per habitus mutetur. 56.b
Animus ſpecies non res ſequitur. 24.b
Appetētia eſt cū defectu. 16.b
Appetentia voluntas. 47.b
Ariſtocratia quomodo conſtituta. 11.a
Artes quomodo comparentur. 117.b
Artes quę præferendæ. 117.b
Artifices faciunt inſtrumenta ſua meliora. 82.a
Auaritia 42.b
Auaritia deterior prodigalitate. 101.b
Auri præſtantia. 153.a
Auxilij ferendi ratio 77.a
Bellum exercitatio fortitudinis. 180.b
Bellum viris bonis gerere licet. 173.b
Bellum virtutis cauſſa ſuſcipi-

piatur. 172.a
Beneficia quomodo compenſentur. 79 a
Beneficium eſtimatur ab eo qui accipit. 161.b
Beneuolentia. 109.a
Bona quædã externa quibuſdam corporis bonis præferenda. 85.b
Bonum & malum. 24.b
Bonum ſummum malum facere nequit. 29.b
Bonum tametſi neceſſario fiat, non tamẽ illud Deus facit coactè. 38.a

Cæremoniæ. 137.a
Cauſſa prima excepta reliqua cuncta cauſſam requirunt. 31.b
Cenſores. 98.b.&.167.a.
Ciues nulli ſint otioſi. 144.a
Ciuis quis. 5.b
Ciuitas quid. 5.b
Ciuitates munitæ ſint. 150.a
Ciuitatum differentiæ. 134.b
Ciuitatum duę præcipuę partes. 174.a
Ciuium improbitas perdit Reſp. 198.a
Cognitio boni & mali. 25.b
Cognitione & voluntate ad bonas actiones eſt op⁹. 141.a
Coloniæ deducendæ. 150.a
Conceptæ vires concipientis naturam imitantur. 61.a
Conciones quales eſſe debent. 140.b
Conſiderandum quid fieri poſſit. 21.b
Conſuetudo naturalis. 49.a
Conſuetudo quid poſſit. 48.a
Continens quomodo quis fiat. 63.b
Contractus à Iure ciuili vim habent. 94.a
Contractus cognitionem requirit. 90.a
Contractus de futuro conſenſu nullus. 9.a
Cõtractus ſeruos facit. 91.a
Contractus ſine fundamento iuris diffluunt. 87.b
Contractuum partes perpendendæ. 87.a
Cunctatio in bello. 179.a

Defectui neceſſariorum, & exceſſui inutiliũ proſpiciendum. 146.b
Defectus exceſſibus ſupplentur. 78.b
Defectus ſolus bonũ aliquod non meretur. 78.b
Dei honos in nos redundat. 70.b
Dei honos in quo ſit 70.a
Deus creſcit in nobis. 70.a
Dęmones an verbis cogantur, 89.a
Diligentia quid poſſit. 50.b
Diligẽtia erga veritatem maximi momenti. 26.a
Diligentia in quo ſit 42.b
Diligentia tota eſt in nobis ſita. 47.a
Diuerſoria publica. 166.b

Diuino auxilio quomodo nobis ſit opus. 132.a
Diuites ſeruent iuſtitiam erga pauperes. 161.a
Duces multarum rerum ſint periti. 176.b
Duces quales eſſe deceat. 174.a
EDucatio officijs reſpondeat. 20.b
Efficiens cum fine conuenire debet. 87.a
Elementorum cōſtitutio. 133.b
Externæ malorum cauſſę excludendæ. 144.a
FAbri publici. 166.b
Felicitas quid. 123.b
Fęlicitas in ſimilitudine cum Deo. 70.b
Fides. 127.b
Formulæ Iuris. 92.b
Fortis quomodo quis ſit. 62.b
Fortuna quid. 158.a
Frequētiora peccata acerbiùs punienda. 98.b
GRatia Dei liberum opus eſt. 51.b
Gratia Dei præcipuum adiumentum. 53.a
Gratia Dei virtutem non minuit. 53.a
HAbitus corporei. 59.a
Habitus quāuis actiones minus liberas faciant, tamē ex liberis actionibus ſunt nati. 55.b
Habitus quas actiones impediant. 56.b
Habitus ſimiles actiones promouent. 57.a
Habitus veritatis & bonitatis. 58.b
Hereditates cōſeruādæ. 154.a
Homines dæmonibus imperant. 90.a
Homo eſt tanquam medium vniuerſitatis. 125.b
Honores pro gradibus dignitatum diſtinguendi. 72.b
Honores an aliquis ſequi debeat. 72.a
Honor magnificentiam parit. 102.a
Honoris compenſatio. 72.b
Honoris cupiditas laudabilis. 72.a
Honoris diuini violatio maximum malum. 71.a
Honos externis iuditijs oſtēditur. 72.b
Honos menſurandus ſpatio, quo quis alium digniate ſuperat. 72.b
Honos quibus debeatur. 71.b
Honos ſanctis viris debetur. 71.a
Hoſtium vires cum noſtris conferendæ. 174.b
IMago Dei in Deo. 126.b
Imagines in templis quales eſſe debeant. 138.
Imperiū Principis diuerſum ab imperio Domini. 92.a
Infamiæ magnitudo quomodo cognoſcatur 75.a
Infamiæ occaſiones conſideran-

randæ. 75.a
Initium actionũ noſtrarũ. 2.b
Inuidia facilis inter pares. 14.b
Ira. 43.b
Ira confert fortitudini. 61.b
Inſtrumenta corporis virtutes & vitia maiora & minora faciunt. 47.b
Inſtrumentorum analogiam artifices imitari debẽt. 81 b
Intẽperantiæ remedia. 65.b
Inuidia. 43.a
Iudices criminales. 167.b
Iudices rerum ciuilium. 167.b
Iudicijs corruptis an parendum. 97.a
Iuris definitio. 186.a
Ius ciuile conſentit cum iure gentium. 190.a
Ius gentium. 186.b
Ius gentium conſentit cum naturæ diuinoque iure. 189.b
Iuſtitia Reipub. totius. 69.a
Iuſtitia cõmutatiua analogiam arithmeticam ſeruat. 80.b
Iuſtitia communis inuiolabilis. 86.a
Iuſtitia diſtributiua. 68.a
Iuſtitia diſtributiua perſonarum & rerũ proportionẽ geometricam requirit. 78.a
Iuſtitia in cõſenſione volũtatũ cũ dignitate cuiuſq;. 82.a
Iuſtitia quid. 68.a
Iuſtitia ſemper eſt eadẽ. 99.b
Lætitia. 41.b
Latrocinia diligentiſſimè punienda. 143.b
Leges ciuiles non ſunt perpetuę. 195.a
Leges diuinę certiſſimę. 192.b
Leges duplices. 187.a
Leges naturæ diſcedere non poſſunt à diuinis. 189.b
Leges ões debẽt eſſe cõcordes. 187.b
Leges ſunt communes. 191.a
Leges ſint faciles. 190.b
Leges ſint firmæ. 193.a
Leges ſunt præcepta artis ciuilis, quæ nos inſtrumentis propoſitis vti docent, & ex omnibus legib. ſacris naturalib. & ciuilib[9] magna quędã ars cõſtituitur. 82.a
Lex anima ciuitatis. 10.b
Libera eſſentia ſimplex. 39.a
Libera poteſtas in animis eſt cauſſa motus. 34.a
Liberalitas in medio. 101.b
Libertas eſt naturale quiddam non externum & aſcititium in animorũ energia. 34.b
Libertas mutatur ab habitu, nõ animorum natura. 56.b
Libertatis noſtræ cum diuina comparatio. 39.b
Licet aliquid quod non oportet. 101.a
Lingua precipuum inſtrumẽtum infamiæ. 74.b
Loc[9] & tẽp[9] peccatũ augẽt 54.b
Ludicra quomodo exercenda. 137.a
Magiſtratus quomodo eligendi. 165.a

Magiſtratus circa præmia verſantur. 164.a
Magiſtratus malè cur eligantur. 165.a
Magiſtratus Reipub. medicus. 97.b
Magiſtratus rerum & animorũ debent eſſe periti. 22.a
Magiſtratuum officiũ. 163.b
Magiſtratuum creatio ſummũ conſilium requirit. 164.a
Magiſtratuum differẽtia.165.b
Malum cum bono vel malo conſentire nequit. 87.b
Malum eſt priuatio boni.87.b
Malum omne non eſt à ſolo peccató originali. 29.b
Materia vltimum naturæ. 17.a
Mathematicæ neceſſariæ ad bellum. 176.b
Mendacium. 25.b
Medici publici. 16.b
Menſæ familiæque conſtituẽdus modus. 146.b
Mentis tabula bifariam pingitur. 25 a
Merciũ externarũ vſus. 151 b
Metallorum mixturá. 155.b
Milites continentes ſint.175.b
Milites perpetui. 178.b
Milites probi ſint. 175.a
Milites ſint exercitati. 176 b
Milites ſint patientes, iuſti, prudentes,pij. 176.a
Milites ſint ſagaces. 174.a
Milites voluntarij. 177.a
Militum corpora. 169.b
Modus agendi peccatum auget. 54.b
Monarchæ facilius in officio ſuo verſantur. 13.b
Monarcha meli' intelligit ea, quæ ſunt ex vſu Reip. 14.b
Monarchia quomodo conſtituta. 11.b
Monarchia reliquis politijs præferenda. 11.b
Monaſtica vita. 181.b
Motus ad bonum quomodo fiant. 17.b
Mundus eſt opus voluntarium. 37.b
Mutationis Reip. ſigna apparent. 199.b
NAtura & libertas in animis conſiderãda. 56.a
Naturæ dona dignitatem noſtrã augent. 49.b
Naturam gratiæ nõ niſi à Deo cognoſcere poſſumus. 38.b
Negociorũ euidẽtia vtilis.93.a
Nitor moderatus vtilis. 150.a
Nobilitas vera. 162.a
Non mouent, quæ ad nos non pertinent. 47.b
Numerum & rerum analogia. 155.b
Nutrices quid poſſint. 20.a
OBligatio 79.b
Obligationes duplices. 79.b
Oculorum cõſenſus cum mẽte. 103.b
Officia quam multa eſſe debeant. 168,b

Officiorum publicorum ratio. 183.b
Optimè ſint in ciuitate õnia, & ijs ciues optimè vtantur. 146.a
Oratio interpretanda. 92.b
Ordo quid. 5.b
Ordo in eccleſia. 182.a
PActa cum dęmonibus. 88 a
Pacta tacita. 93.b
Pactorum diſſolutio. 94.b
Pactorum finis bonum. 84.b
Patientia diſcenda à natiuitate. 22.b
Pauperum neglectus ſummũ dedecus. 159.b
Pauperum officium. 161.b
Pauperes liberaliter alendi. 160.a
Pauperes peregrini quomodo tractandi. 160.b
Peccata ſepè puniri nequeunt. 100.a
Peccatũ nullũ præter orginale fuerit, ſi nõ eſt libera voluntas. 29.b
Peccatum originale nos ipſi propriè committere non dicimur. 29.b
Peccatum quid. 100.a
Pecuniarũ quis ſit mod⁹. 153.a
Pecunijs quomodo vtendum. 162.a
Perfectionem primæ noſtræ naturæ moribus ſequi debemus. 18.a
Perpetuitas pulcri pulcra. 106.b
Perſonæ peccatũ augẽt. 54.a
Phãtaſia per ſenſum communem concipit ſpecies. 25.a
Phantaſia ſpeculũ eſt, quo rerũ ſpecies cõcipiuntur. 24.a
Piſcium eſus. 148.a
Politia quomodo conſtituta. 10.b
Populus quid. 5.a
Populi finis. 5.a
Porus & penia. 17.a
Poteſtati ſummæ ſummus honor debetur. 13.b
Poteſtas animorum imago poteſtatis diuinæ. 37.a
Poteſtas nulla legittima ad vitium. 91.b.
Poteſtas publica. 162.a
Pręmiorum ratio ex ſupplitijs poteſt cognoſci. 100.b
Præterita & futura per Dei voluntatem neceſſitatem habent. 38.a
Princeps an ad clemẽtiam debeat eſſe propenſus. 170.b
Princeps liberalis eſſe debet. 171.a
Princeps requirit poteſtatem. 170.a
Princeps ſummus qualis eſſe debeat. 169.b
Principatus à prouidentia Dei. 162.b
Principatus conſtituendi triplex ratio. 12.a
Principatus per ſucceſſionem melior. 12.a
vnius Principatus præſtanti-

or. 13.a
Principes ſæpè euertunt Remp. 197.b
Principis humanitas ſit cum dignitate. 171.b
Principijs malorum diligēter reſiſtendum. 195.b
Principum differentię. 690.a
Priuilegiorum origo. 194.a
Prudentia quid, 117.a
Prudētia ab artib⁹ differt. 117.a
Prudentia perfecta. 116.a
Prudens quomodo quis fiat. 113.b
Publicus ſplēdor vtilis. 149.b
Pulcritudinis nomen primo corporibus impoſitum eſt. 105.a
Pulcritudinis nomen à corporeis ad incorporea transfertur. 105.a
Pulcritudo eſt in oculis & mēte. 104.b
Pulcrum præcipuè ex cōmenſuratione & colore. 103.a
QVæſtores. 165.b
Ratio non iudicat de ijs, quæ naturæ ſunt ſuperiora. 125.b
Ratio principatus eſt maximi momenti 10.b
Reſpub. vnde dicta. 5.a
Reſpub. quid. 5.b
Reipub. differentia. 10.a
Reipub. partes. 6.a
Reip. prima diuiſio. 9.b
Reipub. cum anima noſtra cōparatio. 184.a
Reſpub. cum vniuerſa natura ſimilitudinē habet. 68.b
Rerum externarum abundantia ſuſpecta. 196.b. &. 197 a
Rerum ordo. 40.a
Res aliæ neceſſitate, aliæ nobilitate ſunt priores. 145.b
SAltationes quales eſſe debeant. 139.b
ad Sapientiam tria requiruntur. 120.a
Scenę quales eſſe debeāt 140.a
Seditionum cauſſæ. 198.a
Senatores. 168.a
Senſus compręhendit ſingularia, mens vniuerſalia, & in vtriſque cognitio noſtra cōſiſtit. 125.b
Similitudo amicitiæ effectrix. 110.a
Sobrietas pueris præſcripta. 22.b
Species animis conſeruantur. 25.b
Species animorum & rerum externarum in ſpiritu. 30.b
Species animorū & rerum in phantaſia. 30.b
Species ludicrę. 25.a
Species rerū effunduntur. 25.a
Species veri & boni intellect⁹ & voluntatis poteſtatē redigunt in energiam. 32.b
Spes. 41.b
Spiritus ætherei in nobis. 133.a
Subditis preſens ſtatus ſemper eſt moleſtus. 197.a
Superbia. 43.a

Supplicia cũ clemẽtia. 96.a
Supplicij mẽſurãdi ratio. 98.b
vnum Summum tantum perfectum. 16.b
TAbernę tantum neceſſar. ſint in ciuitate. 147.a
Temperantia. 63.b
Terra quomodo colẽda. 134.a
Timor. 41.b
Timor aduerſatur fortitudini. 62.b
Toni muſici. 139.a
Triſtitia. 41.b
VEritas & falſitas. 24.a
Veritas varijs modis ſe demonſtrat. 118.b
Veſtium & ſupellectiliũ cura. 166.b
Veſtium forma. 149.a
Viæ publicæ quales eſſe debeant. 143.b
Virtutum genera. 60.b
Virtutum fontes quos riuos mittant. 122.a
Virtus in mediocritate. 60.a
Virtus rarò voluptatẽ habet. 64.b
Virtutem & vitium quatuor augent. 48.b
Vnitatis vis. 6.a
Vita noſtra peregrinatio. 131.a
Vitia plura q̃ virtutes. 60.b
Voluntariarum actionum materia, 36.a
Voluntas cogi nequit. 85.a
Voluntas Dei. 37.b
Voluntas Dei tota non eſt hac natura comprehenſa. 38.b
Voluntas diſſentiens in contractib. ab oratione. 93.a
Voluntas noſtra non eſt abſolutè libera. 38.a
Volũtates humanæ ſint artifices. 81.b
Voluntatis iudicium oratio. 92.b
Voluptatẽ ſine virtute ſequitur dolor. 64.b
Voluptates linguę tactu & guſtu percipiuntur. 42.a
Vſus & facultas in obligationibus ſpectatur. 80.b
Vtile & laudabile quid. 135.a

FINIS.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM DOMINVM, DOMINUM *Antonium Perrenotum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Præsbyterũ, Cardinalem Granuellanum, Archiepiſcopum Mechliníenſem &c. de Repub.*

Liber primus.

Nicolao Bieſio Gandauenſi Auctore.

QVANQVAM ſtudioſis video ſemper ab omnibus fuiſſe conceſſum, illuſtriſsimè Præſul, vt omni conatu ſibi beneuolentiam & patrocinium eorum virorum conciliarent, in quorum virtutibus totam ſpem ſalutis & dignitatis ſuæ poſitã haberent, tua tamen amplitudo ſumma tã me deterruit hactenus, vt ego, qui nihil magis optarem, in conſpectum tuum venire non auderem. Nam dum cernerem cum reliquis innumeris & maximis ornamentis tuis coniunctam tantam quoque prudentiam & eruditionem, quantam ad Remp. rectè gubernandam tempora noſtra non mediocriter requirunt, facilè intelligebam cum ijs,

niſi quod numeris omnibus abſolutum eſſet, nihil vnquàm bene conuenire poſſe: cùm autem cogitationem ad me ſubinde conuerterem, dolebam eſſe multò minorem hanc induſtriam & eruditionem meam, quàm vt eam meritò poſsit ſumma tua ſapientia et auctoritas approbare. Verùm, cum tandem omnia diligentius circumſpicerem, atque cernerem in amplis familijs & in Rebuſp. etiam deterioris conditionis homines, qui, dum ſaltem aliquam, licet minus inſignem operam præſtent, ſtudio tamen atque diligentia ſua laudâtur, & conditionem aſsiduò meliorem commerentur, nec in ſtudijs literarum atque ſapientiæ planè reijci debere, qui locum inferiorem tenent, nec etiam eos reprehendendos eſſe putabam, qui modis omnibus ad aliquem ſuperiorem aſpirant. Per gradus enim multos ad inſignem aliquam eruditionis laudem, continuò ſumma quadam animorum alaritate nobis aſcendendum eſt, et ſapientiæ difficultas vehementiorem illum animorum impetum facilè moderatur, licet alijs periculis non retardetur, atque amor etiam alicuius ordinis primi ſæpè facit, vt non teneamus aliquando poſtremum. Ad res magnas conficiendas ſemper magnis quibuſdam animorum motibus opus eſt,

qui

qui cùm ad ipſam virtutem & vtilitatem publicam rectà tendunt, quod quidem his perditiſsimis temporibus rariſsimè contingit, non modò non impediri, ſed, ſi vnquam, nūc certè diligentiſsimè prouehi debent, ab illis præcipuè, qui tenent inter alios omnes principatum. Nam quemadmodum in malis negotijs confidentia nihil deterius eſt, ita nec in bonis quicquam deſperatione perniciosius eſſe poteſt: qua tamen inter tantas difficultates nos opprimi neceſſarium erit, niſi magnorum virorum ope ſubleuemur & ſuſtētemur. Quapropter, tametſi nos quod cupimus non aſſequamur, in his rebus, vt præclariſsimis, ita difficillimis, vel ſolum conatum, apud te tibique ſimiles, ſapientiſsimos & optimos viros, qui ſciunt, quanti referat, bonorum omnium & ſtudioſorum omnia deſideria modis omnibus promoueri totiq; ſemper in conſeruanda ſalute communi ſunt occupati, laudem ſuam aliquam, potiùs quàm reprehenſionem, conſecuturum eſſe ſperamus, tam multa tamque magna nobis impedimento ſunt, quò minus voti noſtri compotes reddamur, vt ea cuncta vix paucis fuerint vnquam bene perſpecta, & ſi bene perſpecta ſint, vel generoſiſsima quidem ingenia facilè deterrere poſsint. Omitto

nunc, quod plerique tam infelices natura ſunt, vt, licet animum ſumma quadam diligentia colant, vix dum aliquid mentione dignum metant: debuit enim fortaſſe quiſque cognouiſſe, ſuum ſolum quibus maximè fructibus accommodatum ſit, & an ſpes lucri maior ſit laboribus atque impenſis: omitto etiam quòd multis externis adiumentis rerum bene gerendarum plurimi deſtituuntur: nam nec illud ignorare decebat, quibus præſidijs vnaquæque res & confici debeat & poſsit, verùm quanquam adſint nobis hæc omnia, frequenter ingruunt tempeſtates improuiſæ, quæ vel optimos fructus miſerrimè perdant, priuſquam optatam ſuam maturitatem conſequantur. Ita fit, vt non ſolùm rarus bonorum ingeniorum prouentus ſit, & ſi quis eſt interdum, vt deſtituantur ijs adiumentis, quibus fretus quis res magnas & præclaras aggredi non vereatur, ſed etiamſi inſigne quippiam conceptum ſit, & ferè penitus efformatum, vt inopinatis quibuſdam calamitatibus oppreſſum, in hanc apertam lucem prodire nō poſsit: & quanquam etiam iam in hac intelligendi communi luce verſetur, rurſus tam magnis tamque varijs caſibus obnoxium eſt, vt aduerſus eos omnes dignitatem ſuam vix poſsit vllo modo tueri.

Certè magnorum & immortalium inge-niorum opifex ille Genius rariſsimum quendam & inſignem admodum ætheris confluxum requirit, qui beneficam illam ſuam vim, contra maledicorum omnium inuidiam per innumeros ſtudioſorum a-nimos, in ipſam æternitatem extendat. Cùm autem nullus liber ſine vitio ſit, & tempus in lucem continuò veritatem ex-ponat, omnes defectus tandem detegit, qui ferme facilius cognoſcuntur quàm virtutes. Deinde ferè fit vt ingenia præcla-riſsima ſeſe potiùs in rebus grauiſsimis exerceant, quarum naturam omnem, nec mens humana conſequi, nec, ſi conſequa-tur, oratione penitus explicare poſsit. Hinc eſt, quòd pauciſsimi quidam ſcrip-tores immortalitatem, nec etiam multi longam ſint vitam conſecuti, & quòd in-ter eos vix vnus aut alter ſit, in quo non à multis multa deſiderentur. Hinc eſt etiam quòd illi, qui paulò diligentius dubios & ancipites harum rerum euentus conſide-rant, huic grauiſsimo periculo ſe com-mittere tam vehementer pertineſcant. Nam etiamſi viri boni vitia diſsimulan-da putent, ſi fuerint cum alijs virtutibus coniuncta, ipſi tamen interim ea non ig-norant: et mali diligentiſsimè captant an-ſas omnes calumniandi. At longè difficil-

limum eſt, acerrimum Doctorum omnium iudicium, perpetuamque maledicorum hominum reprehenſionem & contumeliam ſubire. His igitur & alijs plurimis maximisque difficultatibus deterriti viri ſtudioſi nunquam in publicum proferre quidquam auderent, ſi voluntatem promouendæ communis vtilitatis á claris viris reprehendi poſſe putarent: nūc autem cùm deſiderium honeſtum, quamuis ad optatū ſuum finem non perueniat á bonis omnibus ſemper meritò fuerit laudatum, nullis periculis & moleſtijs impediri: ſed quantò res magis arduæ ſunt, tantò maiorem potiùs diligentiam adhibere nos decet, vt aliquid in vſus communes edamus: & oportet nos etiā ad eius quod ediderimus defenſionem, opem bonorū omnium, eorum præcipuè, qui tenent inter alios omnes ſummam autoritatem, audacter efflagitare. Idem autem ſcriptoribus accidere video, quod illis vſu venire ſolet, qui cùm filios procrearunt, nihil vnquam omittunt, quo vitam eorum quàm optimè diutiſsimeq; tueantur, & eos omnibus bonis inſtructiſsimos reddant. Animorum enim liberi, quàm corporum, ſi bene nati fuerint atq; formati, longè nobiliores ſunt, veriuſque parentum ſuorum effigiem referunt, latiùs in plurima tem-

porum

porum & locorum ſpacia ſimilitudinem eorum proferunt, & etiam maioribus laboribus gignuntur & ſuſtentantur: quæ res omnes ſingularem quendam amorem conciliare ſolent. Cùm igitur animorum iſti liberi varijs caſibus & iniurijs obnoxij ſint, potentibus amicis mitti ſolent, quò tutiùs maioreque cum gloria viuant: quod à me quoque faciendum eſſe putaui: cui nimirum, contra certas multorum accuſationes, eximio quodam patrocinio ſit opus. Nam, tametſi eos omnes homines facilè mihi cõtemnendos eſſe putem, qui tam à recto iudicio nunc ſunt alieni, vt pulcerrimum hoc Philoſophiæ ſtudium planè vituperent, & eo ſolo, quòd ſapientiæ contemptores ſint, ſe ſtolidiſsimos eſſe profitentur, illi qui verè docti ſunt, quorum iudicium eſt nobis plurimi faciendum, ad hanc præclariſsimam & vtiliſsimam intelligendi partem explicandam aliam quandam eloquentiam & eruditionem deſiderabunt: apud quos autoritas tua plurimum ſanè valebit: vt, ſi tu cuius ſumma virtus & ſapientia ſatis omnibus hominibus eſt perſpecta, conatus noſtros æqui boniq́ue conſulueris, idem ſibi quoque faciendum eſſe putent. Fretus igitur humanitate & autoritate tua, Præſul illuſtriſsime, & beneuolentia quo-

que clariſsimorum fratrum tuorum D. Caroli & Frederici Perrenoti, quos propter ornamenta ſumma vehementer omnes admirantur, & tu meritò plurimùm amas: non ſum veritus, in rebus grauiſsimis te mei ſtudij ſapientiſsimum & optimum iudicem eligere, vt ſi ſpem aliquam dederis, alacriter in reliquo curſu meo pergam: ſi verò conſilium meum non probaueris, ſaltem deſiderij non in honeſti veniam ab humanitate tua expectem, eorum fauore confirmatus, quos iam nominaui, ſemperque propter ſummam virtutem maximaque beneficia in me collata ſum honoris cauſſa nominaturus. Cùm igitur aliquando nonnulla ſcripſerim de optimè conſtituta Repub. cuius cognitio ad omnem noſtram felicitatem longè vtiliſsima & planè neceſſaria eſt, ea tibi mittere volui, qui vt diligentiſsime in aliis rebus omnibus præclaris, ita in hoc intelligendi, agendique genere, præcipuè verſaris, & ſi digna indicaueris quæ legantur, ſolo nomine tuo noſtris ſcriptis plurimum autoritatis es allaturus. Quapropter ſub tuo præſidio Antiſtes Illuſtriſsime tam ipſam aggredior Reipub. noſtræ conſiderationem. In hac tam multiplici maximarum rerum ſerie, nos eum tenebimus modū, vt, poſtquam initio Reip.

naturam omnem, & in quam multa genera diuiſa ſit, breuiter oſtenderimus: explicemus latiſsimè, quid in omnibus eius membris præcipuè requiramus, & inſuper diuerſa quid proprium habere debeant, conſideremus: poſtremò verò loco, quales debeant eſſe leges, quibus omnes Reip. partes ſint, tanquam in vnum corpus arctiſsimè deuinctæ, & quomodo Reſp. mutentur & intereant, paucis adiungemus.

Quid ſit Reſpublica.

CAPVT I.

VT igitur auſpicemur orationem ab eo, quod primum in hanc conſiderationem venire debet, Reſp. quod populi rem, hoc eſt conditionem, vtilitatem, & ſtatum contineat, ſic appellata videtur. Populus autem dicitur, hominum cœtus, iuris & æqutiatis communicatione ſociatus, in quo ſinguli publicam felicitatem ſibi proponunt. Cùm enim multis rebus homines egerēt, quas omnes ſeorſum quiſque ſibi comparare non poſſet, in vnum locum multi conuenerunt, vt ſibi mutuum vitæ ſubſidium

Reſp. vnde dicta.

Populus quid.

Populi finis.

ferrent, & vt etiam imminentes iniurias communibus viribus propulſarent. Ita boni conſequendi malique vitandi cauſſa locis etiam ſunt inter ſe coniuncti. Quatenus autem ſinguli poſſunt omnibus inſeruire, ac in iudicijs & conſilijs publicis aliquam autoritatem obtinere, ciuis nomen habent: à quibus omnibus ſic inter ſe coniunctis ciuitas vocatur: quam definit Ariſtoteles, ciuium iuſtam multitudinem, collectam ad ea facilius comparanda, quæ requiruntur ad vitam, Remp. verò definit ordinem quendam ciuium, præſertim in ijs, quæ ſummam obtinent ad ſalutem communem poteſtatem. Obtinet verò ſummam poteſtatem ratio conſtituendi, conſeruandique principatus. Ordinem autem hic appellamus, quo quiſque ſuum dignitatis & officij locum tenet. Is igitur cùm ex multis & diuerſis vnum faciat, vel potius in multis ipſe ſit in vnum pulcerrima quadam analogia inter ſe coniunctis, ad eximiam totius conſtitutionẽ meritò diuinum quippiam haberi debet, à quo, veluti reliquorum omnium, ita Reip. quoque forma conſtituatur & conſeruetur. Quicquid enim diſtractum eſt, eatenus nullam poteſtatem, niſi ad interitum ſuum habet, & vnumquodque vim ſuam omnem & robur obtinet, quoad

Ciuis quis.

l. 3. Pol. cap. 1. 3. & 8.

Ciuitas quid.

Reſpub. quid.

l. 3. Pol. 4.

Ordo quid.

mutuæ ſocietatis vinculis continetur, quoad in vnum cum reliquis ſuis membris quam arctiſsimè conſpirat: quoniam in vno & ab vno ſemper virtus omnis eſt, & imbecillitas atque pernicies omnis eſt in eius diſſolutione, quod natura volebat eſſe coniunctum. Oportet igitur Reip. partes in vnum eſſe iuſtis quibuſdam analogijs deuinctas, in quo iam ordinis ratio ſtatim eluceſcit. Quòd niſi omnes in concinnam quandam figuram conueniant, potiùs monſtroſum quippiam exorietur, quod minimè perueniat ad finem à natura deſtinatum, ſed confeſtim in interitum ſuũ vergat. Quam multæ verò partes ad conſtituendam Remp. deſiderentur, in vniuerſum definiri nequit: hîc enim plures admittit, & alibi paucioribus eſt contenta. Nunquam autem tam magna ſit, vt ſe ſuſtinere nequeat, nec etiam tam exigua ſit, vt neceſſarijs præſidijs ſuis deſtituatur. Sunt verò quidam limites & hîc & alibi ſemper à natura conſtituti, intra quos exacta mediocritas ſummam obtinet dignitatem. At ſi infra mediocritatem neceſſariò conſiſtendum eſt: non enim omnes omnia conſequi poſſumus, quibus adiuti, quàm commodiſsimè viuamus: ſaltem Reſp. tanta ſit, quanta ſibi ſufficere ad incolumitatem ſuam tuendã poteſt,

Vnitatis vis.

Reipub. partes quam multæ.

poteſt, & interim ad felicitatis communis incrementum omnibus modis ſe componat: is enim eius cõſtituendæ fuerat propoſitus finis, ad quem ſinguli ciues ſuis viribus & officijs contendant. Oportet enim vt ſibi inuicem acriter auxilium ferant, & tanquam in eadem naui felicitatis ſuæ communem portum rectà petant, nõ quidem pariter omnes, nam alij ſunt præſtantioribus, alij ſunt inferioribus officijs prouehendæ communis ſalutis deſtinati: ſed quilibet iuxta gradum & ordinem, quem in ciuitate tenet. Quanquam enim eſt vnus totius Reip. finis, illi tamen à quibus vult comparari, ſunt diuerſiſsimi, & diuerſiſsimis operibus addicti: ita tamen vt quiſque præbeat ſuos peculiares vſus ad incolumitatem totius: adeò quidem vt homines etiam mali boni quippiam viris bonis afferre, totamque Remp. quodammodo iuuare poſsint: quod quomodo verum ſit, priusquàm vlterius progrediamur, operepretium eſt, vt paucis conſideremus: nullum enim malum, præſertim in Rep. bene conſtituta, locum aliquem vtilé habere, ſed ſua præſentia ſtatim cuncta labefactare, atque adeò ciuium perditorum præſentia bonarum Rerump. ſtatum, cõfeſtim euertere videtur.

Quòd

Quòd ciues mali Reip. ſint vtiles & quòd Reſp. quædam ſint malæ.

CAPVT II.

VT autem rem omnem meliùs intelligamus, eam iam altiùs repetemus. Finis cuius gratia quæuis negotia ſuſcipiuntur, primus ſemper in conſiderationem venit, omnium verò rerum finis bonum aliquod eſt: quo propoſito, ſtatim ad eum trahi ſolet, quod aliquam efficiendi poteſtatem habet, at effectum opus illud ipſum eſt, quod anteà propoſitum fuerat tanquam actionum omnium finis, in eo nimirum opere iam facto cõquieſcimus, quod anteà vt finem operationis expetebamus, ſic architectus ſpeciem aliquam domus animo concipit, ad quam inſtituit omnes actiones, & domus ex ædificata gerit ſimilitudinem expreſſam illius imaginis, quam artifex priùs animo continebat. Adhuc igitur hæc omnia, nimirum finis, effectum opus, & etiam ea quibus hæc comparantur bona ſunt, nec eſſe videtur in rebus humanis, ne dum in Rep. bene compoſita vllis malis rebus locus: & etiam ſi quis malis rebus locus eſſet, cum in

defectu boni ſuam omnem naturam habeant,& omnis vis, omne robur, omnis poteſtas ſit à bono, nullam vt iam dicebamus, niſi ad interitum obtinerent poteſtatem. Verùm cùm varia genera bonorum ſint,de quibus omnibus poſtea dicemus: varij poſſunt etiam proponi fines, inter quos vnus quàm alius plus obtineat dignitatis:& in eo malum eſt, ſi pro maiore minus bonum,vt pro virtute voluptatem aliquam corporis, aut diuitias eligamus:nō quòd hæ ſua natura malæ ſint, aut aliud quidquam in hac vniuerſitate rerum:ſed cùm ad plurima liberum motum habeamus, in eo malum eſt, ſi minus bonum ſequamur, cùm maius conſequi potuiſſemus, & ſecundum leges hoc potiùs, quàm illud eligere debuiſſemus. Itaque tametſi propoſitus finis bonum aliquod ſit,tamen ſæpè non eſt tale bonum, quale nos maximè debuerat commouere: & ideo finis malus eſt, quia nimirum præſtantior fuerat eilgendus: ac eius conditionem etiam opus ipſum ſequitur,atque adeò etiam artifex, animus ſcilicet humanus:qui ſuis actionibus conſentaneam naturam induit, earumque vitijs imbuitur, quemadmodum poſteà dicemus. Quoniam ergo malum eſt in rebus humanis: nunc conſiderandum nobis eſt, an poſsit

aliquam

aliquam occaſionem alicuius boni præbere. At ſi quiſque ſeſe natura retrahit à malo turpitudo vitiorum in ſceleratis hominibus conſpecta, homines non malos in meliorem ordinem certè redigere, atque adeò poteſt eos, totamque Remp. iuuare. Quemadmodum autem ad huius corporeæ naturæ totam exornationem cõducebat, vt vnæ partes alijs eſſent præſtantiores, ſic etiam animorum vniuerſitati bonum fuit, vt per voluntatem alij ſuperiorem, alij verò locum inferiorem in humana tota Rep. tenerent, & vt per ſingulas in ea priuatas Reſp. eadem quoque ratio ſeruaretur. Multa quidem cernimus indies, quibus longè præſtantiora cogitare videmur: ſed tamen, ſi totam rerum omnium naturam mente conciperemus, in ea profectò nihil omnino deſiderare poſſemus. Conſtitutionem vernam, ſereno diurnoque tempore, & in regione bonis omnibus abundante, quis viſu iucundiſsimam eſſe neget? quæ præter temperiem aëris, perſpicuitatem, pulcerrimũque lucis illius aſpectum terræ quoque faciem nobis exhibet, omni venuſtatis & ornamentorum varietate excultam, ſpecioſiſsimis herbis atq; floribus veſtitam, dulciſsimosque fructus in vſus noſtros proferentem; deniq; bonis omnibus af-

fluentem

fluentem terram, & tanquam ſubridentem nobis exhibet hæc optima conſtitutio naturæ. Quòd ſi cum hoc rerum vultu conferamus hybernum, denſiſsima nubium caligine obductum, tenebris obſeſſum, variæ perturbationis plenum, atque veluti triſtem vltimæ ſenectutis canitiem gerentem, profectò illa prima conſtitutio naturæ multùm felicitatis, hæc autem ſecunda multùm miſeriarum continere: illa bonis omnibus abundare, hæc pleriſque deſtitui videtur. Sed ſi conſideremus nos nec talem æſtatem, niſi poſt talem hyemem eſſe viſuros, nec etiam eius conſpectum alioqui nobis tam iucundum eſſe futurum, omnia ſtatim quàm optima fatebimur, quæcunq; ſunt arte diuinæ prouidentiæ conſtituta, quod non tantùm in ijs, quæ natura, ſed etiam voluntate proueniunt, intelligi volo non enim pariter omnium hominum animos eſſe perſpicuos, ſerenos, veritatis luce claros, omni fructu virtutum affluentes ex vſu totius humanæ Reip. fuiſſet: ſed decet quorundã mẽtes eſſe tenebroſas, animosq; varijs maximarũ perturbationem & tẽpeſtatuũ fluctibus atq; procellis obnoxios: idque etiã in corporis & externis bonis & malis intelligi debet. Contrariorum enim præſentia bona cuncta vim ſuam excitant, ſeque

maiora

maiora reddunt, in quo vis & dignitas virtutis eluceſcit: & etiam miſeriarum conſpectus ſenſum felicitatis maiorem & euidentiorem facit. Sic ergo, in quam optimè quoq; conſtituta Rep. mali, qui in ea proueniunt, ſuum quendam vſum alijs præbent, & etiam calamitates, quæ illi vniuerſæ accidunt ſæpè cauſſa ſunt maiorum voluptatum: nec propterea non benè conſtitutam eſſe ciuitatem dicemus, quòd in ea malos ciues prouenire videamus. Sed hæc de tota Rep. ſufficiant: nam ex ijs quæ diximus, in vniuerſum eius naturam facilè cognoſcemus. Finis enim eius eſt, huius vitę communis felicitas, quam vt homines conſequantur, vt officiorum arcta viciſsitudine ea ſibi præſidia comparent, quibus meliùs & tutiùs viuant voluntatibus & locis in vnum coniunguntur. Quanquam autem hæc officiorum viciſsitudo ſuum quendam ordinem & analogiam requirat, non tam exactis tamen conſtat numeris, quin multas compoſitionis differentias admittat. Quòd etiam in reliquis omnibus rebus vſu venire videmus, vt varios exceſſus defectusq; ſuos ferant, ſi modò ſint intra limites ab ipſa natura conſtitutos: ita nullus homo homini ſimilis eſt, ſed omnes tamen referunt figuram humanam. Nec ſingulæ tantùm inter ſe Reſp. differunt ſed

Reipub. prima diuiſio in bonam et malã.

etiam toto genere ſunt diuerſæ? Cùm itaque Reip. nomen non tantùm bonis, ſed interdum etiam malis hominum ſocietatibus tribui videam, quatenus ſcilicet pernicioſis legibus vtuntur, & ordine quodam tendũt ad illaudatum aliquem finem, hinc ſtatim vniuerſum genus, per differentias latiſsimè patentes, in duas magnas partes erit diuiſum. Tametſi enim ordo ſuapte natura ſit optimum quippiam, cùm tamen mali ciues in Rep. eſſe, et multi homines ad malũ opus bonis inſtrumentis vti poſsint, quòd ſi plures ad facinora perpetranda, ad bonos vexandos, ſpoliandos, euertendos, in vnum inter ſe conſpirent, mala proculdubio Reſp. confeſtim exiſtet, nec propterea vitiatur facies vniuerſi, quod quis dum eligit facitq; deteriora, verſus imum naturæ deſcendit: ſed omnia deſtinatum à prouidentia diuina locum in hac vniuerſitate tenent, & vnius mali ciuis aut Reip. vitiũ alterius virtutem in locũ aliquẽ ſuperiorem impellit. Cùm verò videmus latrones & piratas in rebus malis peragendis ordinẽ quodam & legibus gubernari, eorum vis in malo non eſt, quod quidem nullam poteſtatem, ſed imbecillitatem tantùm affert, quemadmodum iam dicebamus: verùm potiùs ab aliquo bono, quod in ipſam hãc vniuerſitatem redundat. Malum itaque, ſi

quam

quam poteſtatem habet, hoc fit propter bonum, quod ſecum habet adiunctum, ac omnes homines atq; Reſp. non tantùm virtutibus, ſed etiam vitijs ſuis totam Remp. humanam exornant, & in finem, qui huic conducit, conſeruantur. Sed ex his ferè intelligi poteſt, quomodo malæ Reſp. ſint, & nos hîc non eas, quæ verè ne Reip. nomen quidem merentur, ſed bonas, & inter eas optimam quandam nobis potiùs deſcribendam propoſuimus: quam vt meliùs inueniamus, nunc ad aliam magis propriam diuiſionem accedemus.

De Rerump. *diuiſione.*

CAPVT III.

CVM itaq; Reſp. multorum hominum ordo ſit, in eo neceſſariò ſunt alijs alij priores, et poſteriores: primi autem ſunt illi, qui ſummam poteſtatem tenent. Hæc vel vnius eſt, vel plurium, vel pariter omnium, quicunque ſunt in ciuitate. Sic ex ipſa rei propoſitæ natura differentias eius inueniemus. Principatus enim in ordine toto ciuitatis prior eſt, & ab ijs, qua priora ſunt, omnia ſuam dignitatem & ap- Differentiæ Reipub. ab eius naturæ ſumptæ.

 pellati-

pellationem præcipuè conſequuntur. Cùm igitur ab initio ciues omnes totius Reip. pariter domini ſunt, paris enim poteſtatis eſt omnium voluntas ad eius primam conſtitutionem, diuerſus diuerſorum populorum conſenſus, ea de re, quæ maximum ad communem felicitatem momentum habet, vniuerſam eius naturam in tria præcipua genera diuiſit. Nam cùm ſine ordine Reſp. conſtare nequeat, & in quouis ordine neceſſario ſint priores & poſteriores, illi populi, qui inter ſuos magnum perſonarum diſcrimen neque agnoſcerent, neque ferrent, quoniam natura quandam æquabilitatem & communem libertatem affectarent, ſic inter ſe conuenerunt, vt omnes pariter omnem poteſtatem haberent, & eam tamen aptiſsimis ciuibus, certis tēporibus & locis committerent, qua iſti, qui Rebuſp. præfecti ſunt, reliquis, ex conſenſu populi, ſecundum leges & æquitatem imperarent, qui loquentis & operantis legis & æquitatis ſimilitudinē gererent. Quanquam enim lex anima dicitur & domina ciuitatis, proprium efficiendi motum ipſa nullum habet, ſed inſtrumentum quoddā rerum communium bene gerendarum eſt, quo peritus aliquis artifex vtatur: vel potius tam lex quàm magiſtratus inſtrumenta quædam ſunt, quibus vtatur ciuium iuſta

Ratio principatus eſt in Rep. maximi momenti.

Politia quomodo conſtituta.

Lex anima ciuitatis Ari ſto.l.3.c. 11. Pol.

ſta voluntas ad Reip. totius felicitatem. Omnes autem ciues, cùm ſinguli ſuis curis ſint impediti, negotijs publicis occupari nequeunt, ſed oportet, vt qui reliquis ſapientiores ſunt, nec rebus domeſticis prouidendis adeo diſtracti, in communibus cognoſcendis & adminiſtrandis verſentur: quorum imperio legum alioqui otioſa poteſtas, in opus & ad finem ſuum perducatur. Duplices verò leges poſitæ ſunt ex populi conſenſu, aliæ quidem de magiſtratibus, aliæ de ijs quæ magiſtratuum curæ ſunt commiſſa. Oportet enim non tantùm magiſtratum, ſed etiam populi conſenſum, qui alioqui facilè vel in hanc vel in illam partem fluctuat, firmis quibuſdam, æquitatis rationibus niti, & in magiſtratu conſtituendo, & etiam in alijs multis, quæ ſuæ poteſtati ſeruauit: quãquam plurima quoque populi magiſtratuumq; liberæ poteſtati ſunt relicta: nimirum ea, quæ facilè publicis conſtitutionibus non poſſunt cõprehendi. Hæc alij populi, cùm viderent alios homines alijs eſſe meliores & ſapientiores, quales deſideramus ad Reip. gubernationem, ijs potiſsimam autoritatem in rebus publicis adminiſtrandis reliquerunt, & illam politiam conſtituerunt, quam Ariſtocratiam appellarunt. Verùm qui diligentiſsimè rerum naturam conſiderarunt, intel-

Ariſt.l.3. Pol.c.7.

Ariſtocratia quomodo conſtituta.

Monarchia quo modo cõſtituta.

intellexerunt multa non tantùm in vnum conuenire, ſed etiam ab vno debere gubernari. Nam multò ſe faciliùs accommodant ciues vnius viri, quàm multorum hominũ inſtitutis: & illud Reip. genus ſemper eligi debet, ad quod ciues magis ſunt accommodati. Cùm autem ſingulis ingenijs & moribus ſinguli præditi ſint, & inferiores ad imitationem ſuperiorum, quos nimirũ ſemper ante oculos habent, libentiſsimè ferantur, multorum principatus inter ciues multas diſsimilitudinis occaſiones & diſsidij exhibebit. Monarchia verò præbebit maiores cauſſas omnis conſenſionis, quæ cõſeruatrix eſt tutiſsima ciuitatum. Quòd ſi verò non tantùm ſubditos, ſed potiùs principes conſideremus, ex ijs etiam inueniemus, vnum eſſe multis multó præſtantiorem.

Monarchia reliquis politijs præferenda.

Quòd Succeßio laudabilis ſit in Principatum.

CAPVT IIII.

AT cùm non ex vnis initijs vniti principes in Rep. fiant, in ijs quid præferamus priùs oſtendemus: deinde vnũ principem optimis auſpicijs conſtitutum, Reip. optimè

mè formatæ præficiemus. Triplex eſt ferè ratio conſtituendi principatus, alijs enim imperium ipſa fortuna tradit, vt ijs qui ſortibus illud aſſequuntur: at cæcam iſtam & temerariam dominã in tantis rebus locum habere non decet: alibi verò potiùs electione principes fiunt: quæ quanquam ſuas vtilitates habet, ab iniuſto fauore corrumpi fermè ſolet, præſertim in ijs negotiis, quæ maximam vim ad impellendos in hanc aut in illam partem animos hominũ tenent: & etiam ſi fuerit electio prorſus incorrupta, potiùs eos aſſumet Principes, quorum maiores imperium rectè gubernarunt. Nos certè tales ad optimè conſtitutam Remp. regendam accommodatiſsimos fore ſperamus, qui ſucceſsione ſunt imperium conſecuti. Nam filij parentibus ſimiles eſſe, & à magnis cauſsis effecta quoque magna prouenire ſolent: propter conſenſionem earum cauſſarum & motuum, quibus peragitur omnis huius naturæ viciſsitudo. Hinc eſt quòd nobilitas, quæ nihil aliud quàm generis virtus eſt, tantam apud omnes homines obtineat auctoritatem: quam quidem planè contemnere, vel ſucceſsionem in principatũ admittere debemus. Verùm non tantùm quia natura transfert ſimilitudinem à parentibus in filios, imperiorum ſucceſsionem laudamus,

Principatus conſtituẽdi triplex ratio.

Principatus per ſucceſsionẽ melior.

Ariſt. l. 3. pol. c. 8.

ſed etiam quia maiorem illi quoque curã earum rerum gerunt, quas putant ad alienos poſſeſsores non eſſe perucnturas, & hi, cum ad alia cuncta, tum etiam ad Reip. gubernationem meliùs inſtituuntur, cui ſunt ab ipſa natura hominumque iuſtiſsimo conſenſu deſtinati. Quantùm autem & hic & alibi ſemper inſtitutio valeat, ſatis à philoſophis demonſtratum eſt, &, quanquam per ſe manifeſtum, cognoſcetur ex ijs, quæ dicemus poſteà ſuo loco. Sed demus ea quæ iam diximus, tametſi longè diuerſiſsima ſunt, eſſe paria, quomodocunque principatus, ſeu ſucceſsione, ſeu alijs modis acquiratur: tamen ſucceſsio multò ſecuriorem Reip. ſtatum reddit. Nouos enim Principes rarò ſine magno periculo, ſæpe cum magna ciuitatum pernicie videmus eſſe creatos. Nam cùm multis eadem eſt propoſita ſpes imperij, pro quo ſolo magni viri fidem frangendam putarunt, non poteſt frequenter Reſp. periculoſiſsimis motibus non concuti, non poteſt perditiſsimis ſeditionibus non diſcerpi. His igitur & alijs multis rationibus perſuaſi, putamus eſſe multò melius, vt á bonis parentibus filij ſimiles conſenſu populi principatum conſequantur.

Quòd

Quòd Monarchia reliquis politijs præferenda.

CAPVT V.

NVNC autem oſtendamus eſſe quoque multo meliùs, vt vnus princeps in vnius principis locũ ſuccedat. Vt igitur rem propoſitam à ſuis initijs accerſamus, iterum natiuitatem & inſtitutionem conſideremus, et inueniemus vtramq; præſtantiorem in vnius principatu. Natura certè comparatum eſt, vt exordia prima nobiliora ſint eorum qui nobilioribus officijs ſunt deſtinati, propter eã, quam antea diximus cauſſam: quæ quidem tametſi ſit obſcura, tamen eſt verisſima, ſed longiùs petita, quàm vt hîc à nobis explicari velit: officium autem monarchæ hominum conſenſu longè præſtantisſimum eſt in rebus humanis, publica namque priuatis meliora ſunt, vt Princeps in publicis præcipuum locum tenet: at monarcha ſolus omnem dignitatem ſummã & poteſtatem habet: quæ quidem per reliquos politijs eſt in multos diuiſa. Oportet autem vt hominum voluntates conſentaneæ ſint rerum naturæ, quæ principes viros ipſa proferre conſueuit, & inter hos aliquem

Vnius principatus præſtantior.

ſiquem eſſe præcipuum, quem alijs poteſtate velit eſſe ſuperiorem. Nec tantùm natura & inſtitutione reliquis Principibus præſtantior eſt Monarcha, ſed etiam honoris cupiditas vehementer ad omnem virtutem eum incitare poteſt. Scimus enim omnes ſummæ poteſtati diuinæ ſummos honores deberi, tantoq; maiores reliquis omnibus, quantò proximiùs ad eam accedunt. Ita Principes monarchæ, modò tales ſint quales deſideramus, qui iam Deo ſunt Opt. Max. proximi, libenter ea faciunt, quæ ſumma laude ſunt digna: ne factis turpibus honos imperio debitus detrahatur: & inſuper etiam multò quàm alij faciliùs in officio ſuo verſantur. Cùm enim nullus tantus ſit artifex, quin ad res conficiendas inſtrumenta multa requirat, hæc quanto paratiora fuerint, tanto ille meliùs officio ſuo fungetur: quantoque poteſtas artificis fuerit maior, tantò ſe promptius inſtrumenta illius arbitrio accõmodabunt. Maior autem eſt poteſtas Principis monarchæ, quam aliorum, qui diuiſum imperium habent: & ideo ſubditi libentiùs illi parent. Quòd ſi quis dicat, omnes ſaltem ariſtocratiæ dominos, vni monarchæ iunctum eſſe pares? reſponderim, raró ſimul omnes imperare quid poſſe, & ſingulos interim in rebus gerendis ſæpe negligentio-

Summæ poteſtati ſummus honos debetur.

Monarchæ faciliùs in officio ſuo verſantur.

res eſſe, dum ſociorum ſuorum curæ multa relinquunt. Ille verò, cui omnia præcipua negotia commiſſa ſunt, longè diligentiſsimus eſt, & facillimè quæcunque voluerit, conficit: cùm in eius vnius voluntatem & poteſtatem vniuerſus populus conſpiret. Quare non eſt quòd aliquis ariſtocratiæ Principes, quia plures ſunt, paratiores ad res gerendas eſſe putet: non enim conſtituimus monarcham præſidijs omnibus deſtitutum, ſed qui tales habeat conſiliorum & actionum adiutores, quales eſſe poſſent illi, qui ariſtocratiam & politiam optimè gubernarent. Si quis igitur obijciat, ad res bene gerendas cognitione nobis ſemper opus eſſe, multoſque ſimul, tametſi ſinguli non magis, quam monarcha quiſpiam, imo verò minus intelligant, conſilio magis valere, quòd quiſque ſuam ſcientiam in medium afferat, vnde facile proueniat, ex multis inter ſe collatis, vna quædã excellens: reſpõdebimus, bonos Reges, de quibus nunc agimus, in ſingulis negotijs, præſertim communibus, ſapientum conſilijs vti, eoſq;, cùm apud eum pacis auctoritatis ſint, etiam citra affectum vllum audiri, qui mẽtem à rebus cognoſcendis deturbare ſolet, & propterea ſecundum puram rationem & veritatem monarcham liberius iudicare, in ariſtocratijs autem vehemen- Ariſt. l. 3. Pol. cap. 7.

hemen-

Monarcha melius intelligit ea quę ſunt ex vſu Reip.

hementiſsimas contentiones frequentiſsimè ſuſcipi, dum quiſque ſuæ ſententiæ tanto fauore tenetur, vt diuerſas rationes nec ſentiat, nec ſentire velit: quemadmodum ex innumeris exemplis vnius Romanæ Reip. intelligere licet. Ergo multò paratior eſt ad intelligendum & rectè agendum monarcha. Nunc conſideremus, an ipſe facilius ab vtilitate communi abduci poſsit, quemadmodum Ariſtoteles cenſet.

Monarcha an facilius ab vtilitate communi abducatur.

Quòd ſi plures in ciuitate virtutib. omnibus pares eſſent, & pariter conſpirarent in totius Reip. ſummam felicitatem, eos omnes fortaſſe, quàm vnum aliquem, ad imperij gubernationem magis aptos eſſe putarem: verùm nullos nec in his, nec in alijs vllis rebus poſſumus videre pares, & inter eos qui pares non ſunt, oportet certè vt, qui magis excellit, teneat principatum. Deinde quanquam virtutibus quibuſdam aliqui pares ſint, animis inter ſe non poſſunt eſſe adeo coniūcti, quin intus multæ differentiæ ſint, & à cauſis externis indies plures ſuboriantur, quæ multas diſsidiorum occaſiones præſtent.

Inuidia facilis inter pares

Vt autem alias multas cauſſas omittam, inter pares & potentes inuidia certè facillimè conflatur, quæ diſcordiam exitialem per vniuerſam Remp. diſſeminare ſolet, quemadmodum ex multis hiſtorijs eſt manifeſtiùs, quàm vt hic latiùs ſit oſtendendum.

dendum. Deinde, cum aliqua fucata boni priuati ſpecies à felicitate publica nos abducere ſoleat, ea ſe monarchis minor ſemper & minus multiplex offert: minor, quia quanto maior quis eſt, tanto reliqua, ſui comparatione, ſunt minora: minus verò multiplex, quia non tot modis ſe miſcent publicis priuata. In monarchijs enim tota principis felicitas in Reip. felicitatem, & viciſsim hæc in illam redundat. Itaque cum præmijs aut precibus maximè flectamur, monarcha, nimirum totius Reip. dominus, illa minimè requiret: preces autem amicorum apud eum locum quoque nullum habebunt. Nam veri amici nihil poſtulabunt contra Reip. principiſque dignitatem, mali, ſi tamen tales eſſe poſſunt apud bonum ſapientemque principem, indigna nunquã audebunt efflagitare, ab eo, qui iure ſit in tanta dignitate poteſtateque conſtitutus. In ariſtocratijs, quanquam principes omnes publicam vtilitatem reſpiciant, incidunt priuata plurima, quæ ſæpe, quàm publica, plus ponderis apud ſingulos habent. Quòd igitur ariſtocratiæ principes aquæ multæ, quæ difficiliùs quàm pauca corrumpitur, ſimiles eſſe dicãt, ita demum admitti debet, ſi illi inter ſe pares ſint, & in vnum planè coniuncti, pareſque ſint etiam corruptelæ cauſſæ. Nunc autem cùm ferè ſint

admodum

admodum inter ſe diſsimiles, à ſe inuicem facilè corrumpuntur, cauſſæq; corruptrices tantò maiores magisque multiplices ſunt, quantò illi ſunt plures: quæ ſingulorum etiam ſenſus priuatim vehementer attingunt. Cùm ergo proprium bonum à communi magis in principatu multorum trahat, in eo ſanè maioribus virtutibus erit opus, quæ difficilè quidem in multis homi nibus inueniuntur. Ergo ſatius eſt, vt vnus ſit Dominus ciuitatis, qui reliquos omnes in officio ſuo contineat, & totius Reipub. tanquam ſuæ, curam gerat. Id enim in hac vniuerſitate fieri videmus, cuius nos imitatores ſedulos eſſe decet: & etiam in rebus domeſticis, ex quibus rerum publicarum ratio fuit deſumpta. Quapropter rectè, profecto Lycurgus reſpondiſſe fertur cuidam, popularem ſtatum poſcenti: tu priùs in tua domo talem cõſtitue principatum. Ergo meritò laudamus Perſarum antiquũ illud conſilium qui poſtquam Magos occi diſſent, cũ inter ſe de Rerump. formis diu multumque diſputaſſent, monarchiam reliquis omnibus ſibi præferendam eſſe duxerunt. Laudamus etiam illud quod ſcriptum eſt apud Homerum, quandoquidem plures optimè gubernare non poſſunt, vnum potius debere reliquis omnibus imperare. Certè ſi diligenter hiſtorias omnes

Ariſt.l.8 & 5.c.2.

legamus,

legamus, monarchias & magis floruiſſe, & latius patuiſſe videbimus: nec minùs monarchiam Reip. Romanæ ſub Auguſto Cæſare, quàm priorum temporum politiam aut oligarchiam laudaturi ſumus. Quanquam autem optimam eſſe putamus monarchiã, non tamen idcirco reliquas Reſp. vituperamus: poſſunt enim, propter multas hominum differentias, ſuis temporibus & locis, ſuam etiam laudem mereri. Sed quod in omnibus optimum eſt, ſemper potiùs nobis proponere debemus, quod imitemur: & ideo magis ad monarchiam omnem noſtram orationem componemus. Verùm, ex ijs quæ iam diximus, ſcimus, Remp. nihil aliud eſſe, quàm inter multos homines communem quandam vitæ rationem & ordinem, in quo totius tanquam corporis bene compoſiti, ſingularumque partium felicitas ſpectatur: cui vel omnes æquis conditionibus præſunt, vel optimi quidã, vel vnus qui teneat inter alios præcipuam dignitatem: & illam omnium præſtantiſsimam eſſe Remp. in qua ciues omnes vnius Principis imperio legitimè reguntur. Nunc autem ad reliquam orationem noſtram accedamus. Quoniam optimam aliquam Remp. conſtituimus, quam omnibus bonis abundantiſsimam eſſe decet, eam, vt bene cognoſcamus, bonorum genera nunc

Rerũp. ſpecies omnes poſſunt eſſe laudabiles.

ra nunc deſcribemus, quemadmodum initio polliciti ſumus: vnde quæ Reſp. bonæ malæuæ, quæque ſint præſtantiores aut deteriores, facile intelligemus.

De Bono & Expetendo.

CAPVT VI.

VT autem rem latiſsimè patentẽ prius oratione breui complectamur, bonum in vniuerſum, more Philoſophorũ, quicquid eſt expetendum, definimus: & expetendum id omne dicimus, quo fuerit quodq; perfectius, & præſtantiores actiones edãt. Quòd ſi perfecti penitus eſſemus, nihil eſſet quod vnquam a nobis expetendum putaremus: nũc autem cum vnum ſolum abſolutum eſſe poſsit, neceſſarium eſt, vt reliqua cuncta, quæ multis modis diuiſa ſunt, admodum ſint imperfecta, ſi cum illo conferantur, attamen quoniam cauſſam ſuam referunt, & firmiſsimis analogiæ vinculis pulcerrime coniunguntur in vnum, in ſuo quoque genere ſingula, & hæc omnia quoque ſimul, perfecta dici poſſunt, quatenus ſcilicet ijs ad ſuum ordinem nihil omnino deeſt, & eatenus etiam appetentia plane carent. Hęc enim vná cum defectu eſt in hanc

Ariſtot. l.8.cap. 6. eth. ad Nicol l.3.pol.c. 8. l.1. ad eundem

Vnum ſummũ tantum perfectũ

Appetẽtia eſt cũ defectu.

rerum

rerum naturam introducta: & ideo Phyſici materiam cum defectu coniunctam, conſtituunt principium appetitionis: non quod vel hæc vel illa quicquam expetat, ſed quod alijs omnibus ambæ præbeant appetentiæ cauſſam: quatenus aliquid ſibi deeſſe ſentiunt ad optimam conſtitutionem. Itaque Plato dicit, à Penia Pori præſentiam ſemper deſiderari: illam enim matrem, hunc autem patrem omnium rerum & illam materiæ defectioni, hunc formæ perfectioni ſimilem facit. Sed hæc non ſunt huius loci, modò conſtet id quod negari non poteſt, nimirum deficientis boni ſenſum in omnibus appetentiam procreare. Ergo nec ea quæ tenemus expetimus, nec ea quæ ad optimam conſtitutionem noſtram nihil conducere iudicamus: nec etiam vt nos alij ſimus optamus, vel ſaltem optare debemus, ſed potiùs vt ijdem ad res omnes naturæ noſtræ conſentaneas perfectiſsimè conficiendas accommodatiſsimi reddamur. Ijs enim verè indigemus, quorū præſentia perfectiores ſimus: aliorum autem perfectionem, ad nos non pertinentē, nequaquam expetere, ſed vt in ſuo genere quodque perfectum ſit velle debemus. Stultum enim fuerit & impium, ſi cum noſtris indigeamus, aliorum bonis delectemur: at ſine bonum quidem, multò minus naturā

In cōuiuio porus & penia.

Materia vltimū & abiectiſsimū naturæ locum tenet, ſuapte natura omnī pulcritudine deſtituta, ſed ornatū ſuum acquirit à formis

alterius optare nobis vnquam licet. Quomodo verò quis alius fieret, niſi ſimul eſſe deſineret, qui prius fuit. Imò ne ſic ipſe quidem alius eſſet, ſiquidem non ampliùs ſupereſſet, ſed potius aliud quippiam eius loco frueretur hac rerum natura. Ea quæ nō ſunt æternitati deſtinata, continenter alijs alia cedunt, ſed ea quæ non eſſe non poſſunt, quicquid faciant, præſentia ſua conferunt ad exornationem fabricæ totius, & qui alij eſſe volunt, cum ſummo ſcelere violant legem inuiolabilem, quam impoſuit omnibus prima natura. Satius eſt igitur, vt nos ijdem eſſe velimus, qui ſumus, & interim tamen, quicquid eſt, aut eſſe poteſt in hac vniuerſitate, idipſum nobiſcum ad præclariſsimas actiones conuenire cupiamus. Id autem omne quod conuenire poteſt, bonum dicimus & etiam expetendū: expetendum autem omne ſtatim vi ſua nos ad ſe trahere poteſt. Sed oportet vt id quod trahitur, aptum quoque ſit, ad eum quem ſequetur motum. Videmus enim à multis hominibus, quia ſenſus corruptos habent, virtutem etiam ipſam, qua tamen nihil melius eſt, non admodum deſiderari: videmus etiam nobis innatam eſſe vim, non tantùm ſequendi, ſed etiam reſiſtendi, de qua poſtea dicemus. Oportet quoque, vt id quod mouendi poteſtatem habet, quodammo-

Motus ad bonū quomodo fiant.

do

do cum eo ſit coniunctum, quod eſt illi obtemperaturum. Coniungitur autem aliquo motu per ſpeciem alicuius boni, & hic motus rurſus aliunde prouenit, ac ita contexitur aurea veterum Poëtarum catena, qua cuncta validiſsimo naturæ nexu ſunt à Ioue constricta: qui cùm immobilis ipſe ſit, alioquin anteque moueretur ab alio priore, nec eſſet ipſe ſummus, tamen omnis motus principium eſt atque finis. Sed hæc latiùs explicanda non ſunt hoc loco. Illud autem à quo proximè trahitur animus humanus, concepta ſpecies eſt alicuius rei iuuantis, & vltimum, quo trahitur, eſt bonum illud immotũ atque ſupremũ. Cùm igitur in rebus humanis multa ſint, præter primam cuiuſque naturam, quæ meliorem quemq; vel deteriorem reddant, illa ſequi, hæc vitare debemus, & eo tandem peruenire, vt optimum aliquem ſtatum conſequamur, ac ad ſummum bonum, quatenus natura noſtra patitur, quam proximè accedamus: quoniam excellentiſsimam inter alia naturam habemus, cui volunt etiam ornamenta reliqua conuenire. Ab eo verò habemus quod ſumus, quod hac aura, Solisq; iucũdiſsima luce, nec ea tantùm, ſed etiã veritatis æternæ ſplendore fruamur, & ſummam illam alterius vitæ felicitatem expectemus: denique quicquid habere vel deſiderare poſ-

Ariſto. 2. de cœl. Plato in Epino. Plo. l. de bo. & al.

Perfectione prima noſtræ naturæ moribus noſtris ſequi debemus.

 ſimus,

ſimus, id totum ſummo bono debemus: vnde fit,vt cum eo coniuncti nihil ampliùs expetamus. Quanquam autem eò nullis noſtris viribus peruenire poſsimus, pro nobis hoc egregiè factum eſt, per ſingularem erga nos Dei beneuolentiam, vt, ſi vehementer ſummum bonum expetamus, illud ipſum protinus conſequamur, quatenus eius capaces ſumus: quemadmodum poſtea paulò latiùs dicemus: prius autem reliqua bona diligentiſsimè perpendamus. Eorum tria genera ſunt, animi, corporis, et externa: inter quæ primum dignitatis locũ animus tenet. Verùm alio rurſus ordine corpus noſtrum primum eſt, & ea quæ corporis neceſsitati ſunt deſtinata: nam nec animi noſtri ſine corporibus, nec corpora ſine quibuſdam externis ſubſidijs eſſe poſſunt. De rebus autem externis poſtea dicturi ſumus.

De Corporis cura. CAP. VII.

NVNC imprimis formandi corporis curam ſuſcipiemus, & à viribus corporaturæ magis coniunctis ordine ad animæ præſtantiores actiones proficiſcemur. In corpus autem noſtrum natura, nec tantùm in corpus, ſed etiam in animum ipſa plurimum

poteſt.

poteſt. Tam violentas enim rerum gerendarum aut omittẽdarum cauſſas ab origine nobis datas eſſe videmus, vt illæ ſæpe vix vlla poſsit induſtria ſuperari. Cùm autem á parentibus ſuis præcipuam naturæ vim omnes deducant, maximi refert, vt illi quàm optimè ſint affecti ad optimæ prolis procreationem: adeo quidem, vt ſecundũ Platonem, in eo magna ſit pars incolumitatis communis ſita. Quapropter idem Philoſophus auctoritate publica diligenter debere prouideri dicit, vt in coniugijs quàm minimùm peccetur: & etiam Ariſtoteles eiuſdem ſententiæ merito fuit. Cùm igitur hic ſciret à iunioribus optimos filios non procreari, prohibuit, ne viri ante trigeſimum ſeptimum, & ne feminæ ante decimum octauum ætatis annum liberis operam darent. Ita fermè patres eodem tempore ſenes, matres ſteriles, filijque primi apti matrimonio fiunt, & à parentibus ſenioribus etiam hi melius ad omnem virtutem inſtitui ſolent. Si quis dicat eiuſmodi leges poni noſtris ciuibus non poſſe, intelligat non eſſe talem ciuem, qualem nos in optima Rep. deſideramus, qui nequit affectibus, quibus Reſp. læditur, imperare, & à legiſlatore ſedulo prouidendum eſſe, vt præmijs aut pœnis propoſitis, omnes diſcant omnibus vtilibus præceptis obtem-

Plat. nouo Reip. in Timæo.

l. 7. Pol. c. 16.

perare. Cùm itaq; vehementer interſit Reipub. vt omnes quàm optimi naſcantur, ſatis eſt manifeſtum, & omnes naſcendi differentiæ ad ipſam ferè corporaturam referantur, quam à parentibus filij præcipuè trahant (nam etiam reliquæ naturæ motus cum generationis principijs conuenire ſolent) in ijs, qui liberos procreaturi ſunt, philoſophi meritò ſummam quandam curam adhiberi volunt, vt quàm optima filiorum quoq; corpora fiant ad eas operationes omnes, quibus felicitas comparatur, vt ſaluberrima ſint & firmiſsima ad omnes actiones virtutis. Quapropter ij qui Rẽp. optimam conſtituere velint, aut conſtitutam conſeruare, matrimonio minimè negligant: verùm in ijs omnia, quam diligentiſsime fieri curẽt, non tantùm ad optimorum, ſed etiam ad plurimorum filiorum procreationem: in quibus eſt proculdubio ſalus & incrementum ciuitatis.

De Educatione Puerorum. CAP. VIII.

POST natiuitatem nutrices ipſam naturam et indolem puerorum vehementer vel iuuare vel corrumpere poſſunt: nam cùm omnis conſuetudinis maxima vis ſit, præcipua tamen eius eſt, quæ ſtatim incipit vnà

eum vita: Ea nempe natura rerum omnium eſt, vt in proxima quæque, & in tenerrima potiſsimùm vim ſuam continēter effundant:et hinc eſt quòd àprimis alimentis & viſis præcipuè pueri imitentur. Ideò grauiſsimi viri rectè iudicant, non ab alijs filios nutriri debere, quàm ab ijs ipſis quę pepererunt: nam ſemper & maiorem curam mater ſuſcipit, & proprio ſuo nutrimento præſentiaque ſua filium ſibi quàm ſimillimum reddit. Vbi tamen intelligere decet, nutrices ad has res interdum matribus eſſe meliores. Ergo conſideremus quid ſingulis, & Reip. magis conducat, & in educandis pueris ſummam diligentiam adhibeamus, vt tenella corpora quàm optimè compoſita ſint, ac ad omnia virtutis opera quā accommodatiſsima reddantur: nec tantū ad opera virtutis, ſed etiam ad alia, quæ ad vſum quotidianum requiri, Reique publi. maximè prodeſſe ſolent. Cùm itaque diuerſiſsimæ ſint corporum & ingeniorum temperaturæ: conſiderandum eſt diligenter, ad quos motus quique ſint maximè procliues: ad motus inquam, vel in virtuté, aut aliquam aliam vtilitatem, vel in vitium aliudúe detrimentum ciuitatis: quorum hi frequentiſsimi ſunt, noſtris præcipuè temporibus, illi verò rariſsimi vel omnino nulli. Procliuitas autem ad bonum eſt diligentiſ-

Nutrices quid poſsint.

gentiſsimè fouenda & promouenda , contraria penitus eſt coërcenda & eradicanda. Qui igitur animi motus fermè corporis compoſitionem ſequuntur, quemadmodũ Philoſophi Medicique dicunt, & hæc multis modis mutari ſolet, omnes hi ſemper referantur ad ipſam Reip. felicitatem. Inueniamus ex omnibus iudicijs , quibus rebus quiſque ſit præcipuè deſtinatus, & ad eas optimè conficiendas à nobis diligentiſsimè formetur. Aliter fingendus eſt is, qui miles futurus eſt, aliter is, qui litteris eſt operam daturus. Hic enim animæ puriſsimis actionibus occupabitur , ille corporis, & hic ingenij vim, ille membrorum robur expoſcet. Perpendendum eſt igitur imprimis, an ad animæ functiones, an corporis potius quiſque ſit formandus , nam officia diuerſa, diuerſam quoque poſtulant educationem. Victus itaque talis ſit, qualis ad res gerendas cuiq; maximè conducit: alijs, qui corpori vim & incremẽtum adiungat, alijs qui promptum & perſpicuum ingenium reddat. Nam quantùm cibus hic etiam & potus reliquaque educatio valeat, & cognoſcimus experimentis quotidianis, & eſt ſatis à Phyſicis demonſtratum. Sed plurimum quoque valent ea, quæ corporaturam noſtram exteriùs attingunt. Attingit autem continenter aër circumfluus: is totam

Educatio officijs reſpõdeat.

Aër quid poſsit.

tam permeat corporis noſtri molem, & mutat eas partes maximè, quæ tenent inter alias principatum. Hinc eſt ferè, quòd hominum tantum ſit in diuerſis locis diſcrimen; hinc eſt etiam, quòd cum temporibus omnia continuò videamus immutari. Aër enim cœleſtium corporum & reliquæ naturæ vim concipit, ac eam per corpus in animos vſque noſtros promptè transfert. Quòd ſi verò quis eum dicat à nobis mutari perinde non poſſe, is intelligat, etiam in ijſdem ciuitatibus eius magnas differentias eſſe, & ab hominibus eum vniuerſum meliorem aut deteriorem reddi: vnde nonnunquam acerbiſsimæ peſtes vel introductæ ſunt vel profligatæ. Ergo nec aër, nec etiam reliqua negligantur elementa, quoniam plurimùm in omnem partem valent: nec alia quoque negligantur, quæcunque ſenſibus omnibus percipi ſolent; non tantum enim corpus noſtrum, ſed etiam animum vehementer mutare poſſunt. Ijs omnibus quæ oculos, aures, reliquamq; corporaturam afficiunt, optima corporis conſtitutio comparetur, & etiam excitentur atque prouehantur interni motus omnes minorum ſemper contra vitium ad omnẽ virtutem, & contra dominum ad omnem vtilitatem ciuitatis: nec corpora vel animi ciuium vnquam otio corrumpi permittantur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

tur. Quoniam itaque Reſp. multis modis inter ſe differunt, & in his, vel in illis negocijs præcipuè verſantur, & etiam nonnulli ciues his officijs, & alijs ſunt alij deſtinati, ſinguli ſic à parentibus & magiſtratibus à pueritia continuò formãdi ſunt, vt omnes pariter publicam & priuatam vtilitatem omnem commodiſsimè proſequantur, & ad regionis temporiſque ſui vitia minimè ſint procliues. Qui natura vel inſtituto prę teritæ vitæ molles ad labores & fortitudinem ſunt transferendi: nimium audaces & indomiti, ſunt ad aliud remiſſum viuendi genus componendi, & deniq; ſemper à vitijs in contrarium ducendi ſunt: ita tamen ne virtutis modum in diuerſam partem excedamus, cumque varia genera virtutum ſint, & inter eas ſint alijs aliæ præſtantiores, ſiquidem pulcerrimas aſſequi poſsimus, eas maximè quidem optamus: ſed ad ornamenta ſingula omnes homines adiumenta paria non habent. Quapropter quid fieri poſsit, vbique cognoſci, & ex eo ſemper quod optimum propoſitæq; Reipub. quam accommodatiſsimum eſt, eligi debet. Itaque ſinguli legiſlatores ferè ſingulos ſcopos ſibi maximè, propoſuerunt: quatenus natura vel inſtituto vitæ ad hanc vel illam virtutem vitiúmue magis eſſe propenſos ciues, & his illíſue præſidijs Reſp. magis

Cicero l. 1. Offi.

Conſiderandum quid fieri poſsit.

Scopi legislatorum.

egere viderunt. Lycurgus in ferendis legibus potiſsimùm fortitudinem ſpectauit, quod à bellicoſis ciuibus imperium non tantùm defendi, ſed etiam propagari vellet: Numa iuſtitiam præcipuè coluiſſe dicitur, cuius maxima vis eſt ad iniurias externas & internas facilè propulſandas. Draco Reip. ſuæ tranquillitatem potius elegit, & aduerſus incontinentiam ciuium leges tã ſeueras condidit, vt eas non atramento, ſed ſanguine ſcripſiſſe dicatur. Cùm boni legiſlatores Reip. ſuæ felicitatem ſibi ſemper proponant, oportet vt tales leges conſtituant, quibus omnibus & externis & proprijs bonis inſtructiſsima fiat, & in optimo ſuo ſtatu ſecuriſsima conſeruetur: & ideo ſi quæ ſit Reſp. cui, ſua bona non ſufficiant, ad externa iure comparanda ciues eius inſtituantur. Si vero bona ſufficiunt, ſed tamen ſatis tuta non videntur, ad eorum defenſionem diligenter exerceantur. Si & bonis abundet, & periculis externis careat, quia proprijs motibus facilè ruere ſolet, aduerſus ciuium peccata, quæ plus mali denunciant, ſeueriſsimæ leges conſtituantur. Oportet igitur moderatores ciuitatum, vel rerum & ingeniorum omnium eſſe peritos, vel ſaltem peritos in conſilium adhibere, quò ſciant, quid rem quamque perſonamque ſequatur vel antecedat, & ita

Magiſtratus rerum et animorũ debent eſſe periti.

ciuitatem bene conſtituant, beneque conſtitutam, incolumem conſeruent. Quoniam autem pueritiæ formandæ prima cura eſt, & labores cum vita ſtatim incipiunt, nec ante finem eius vnquam deſinunt, quò faciliùs ſuſtineantur, neceſſarium eſt, nos patientiam diſcere ſtatim ab ipſa natiuitate: quod certè ad imperium conſeruandũ & propagandum non mediocriter conducit. Ea nimirum vniuerſæ naturæ lex eſt, vt à ſimilibus ſimilia fiant, vt à rebus mollibus eneruemur, à duris autem vires acquiramus, & vt, qui labores diutiùs perpeſsi ſunt, facilius & melius in negotijs difficilibus verſentur: quod quidem Lacedemoniorum legiſlator non ignorabat, qui cùm, vt iam diximus, præcipuè ciuitati ſuæ velli gloriam propoſuiſſet, etiã pueris rigidos & militares mores præſcripſit, cuius inſtitutis illa Reſp. florebat. Nec ijs reliquos labores tantùm, ſed, quod magis eſt mirum, etiam ſobrietatem imperauit: idque etiam à Perſis legimus olim obſeruatum. Quamuis enim pueris natura plurimo alimento ſit opus, videbat tamen ſapientiſsimus legiſlator, luxu potiùs quàm frugalitate, corpora & animos debilitari, nec non plurimam vitiorum ſegetem, ex eo paſsim prouenire. Nam animus, vt eſt apud Platonem, corpore ſaginato, tanquam equo laſciuiente,

Patiẽtia diſcenda à natiuitate.

Sobrietas pueris præſcripta.

ente, non poteſt à rationis via frequenter non depelli. Idque eſt, quod idem Philoſophus nullis, niſi ſenioribus, vinum concedendum eſſe putaret, in quo maximam incontinentiæ vim eſſe ſciret: & iam quidem ſenſim à corpore ad animum delati ſumus, cuius vtriuſque motus cùm ſint admodũ inter ſe coniuncti, ideo ab vnis ad alios facillimus nobis tranſitus paret: ſed nos iam reliqua perſequamur. Ergo diligenter à luxu reuocentur, et ad ſobrietatem ac omnẽ laborem ciues omnes auctoritate publica continuo transferantur: puerorum ingenia, tanquam agri, ex quibus Reſp. ſuos omnes fructus eſt perceptura, diligentiſsimè colantur, & rebus optimis ſerantur: prohibeantur inſeri quæcunque Reip. noxia ſunt, & inſita confeſtim à magiſtratibus euellantur: nam ſemina virtutum his temporibus admodum rara ſunt, & vel ſterile ſolum vel incultum nacta, vel prouentu malarum herbarum obruta, facillimè marceſcunt. Nec tantùm primi motus diligentiſſimè regantur ad omnem virtutem, ſed etiam omnes alij, quicunq; poſteriùs incidere ſolent in naturam humanam: quoniam occaſiones rerum externarum tàm variæ tãq; potentes & animi noſtri tam parati ad omne vitium ſunt, vt omnibus modis obſiſti debeat, niſi cum maximo noſtro dedecore

res omnes noſtras cùm publicas tum priuatas funditus euerti velimus. Prudentes igitur legiſlatores, tanquam boni Medici, principijs morborum omnium omnibus modis obſtent, & omnem diligentiam in coërcendis vitijs atque virtutibus promouendis & ipſi adhibeant, & in alijs ciuibus incitent: præſertim a prima ætate, cùm corporis motus adhuc in quamuis partem promptè flecti poſſunt. Videmus enim in fluminibus, & in alijs rebus omnibus, curſum, quem diutius obtinuerunt, vix cùm ſummis laboribus impediri vel alio transferri. Maxima verò debet adhiberi, cura, in ijs bene formandis, qui primum aliquem aliquando locum in Repub. ſunt habituri; quorum propenſitudinem vel ad virtutem vel ad vitium, ſtatim ab exordijs ipſa natura quibuſdam præſagijs, vt ex ſpecie, ex magnitudine corporis, alijſque multis oſtendere ſolet: quemadmodum in Moyſe, Cyro, Romulo, Remo, alijſque multis cernere licet: & ſi hæc obſcuriora fuerint, ætas prima ſaltem ea manifeſta facit: quemadmodum de Themiſtocle, alijſque multis legimus, quorum initia quamuis obſcura fuerint, prima pueritia ſtatim euidens argumentum ætatis reliquæ dedit.

De

De ſpecie Boni vel Mali. CAP. IX.

POST corporis curã animorum motus, qui proueniunt ex oblata ſpecie boni vel mali diligentiſsimè à prima ætate gubernentur ad veritatem, ad omnem virtutem, & ad reliquam omnem vtilitatem ciuitatis: quod vt rectiùs facere ſciamus, & hæc omnia meliùs cognoſcamus, rem ipſam paulò altiùs repetemus. Inprimis igitur intelligere debemus, in nobis ipſis tanq̃ eſſe tabulam quandam ab ipſa natura poſitam, & veluti ſpeculum, in quo mens ſui ipſius, & rerum omnium figuras cum ſuis circumſtantijs cernat: ita vt extra illud quicquam in hac natura dilucidè nunquam intueatur. Quanquam enim characteres rerum omnium inſculptos ab origine continet, & illius rerum omnium exemplaris diuini diuinam ſimilitudinem gerit, per imagines tamen in hac tabula depictas cuncta recognoſcit: quæ ſi rebus ipſis conſentaneæ ſint, veritatem in animis noſtris gignunt; ſi verò cum natura rerum non conſentiunt, ſtatim pariunt in nobis falſitatem, maximam ingeniorum, & omnis virtutis peſtẽ, quoad verò res, quarum imagines animis concipiuntur, nobiſ

Phantaſia ſpeculum eſt, quo rerũ ſpecies concipiuntur.

Veritas et falſitas

cum

cum conſeruntur, & aliquam vel conſeruandi vel in meliùs deteriuſue mutandi poteſtatem habent, boni maliue præſentis, aut futuri appellationem obtinuerunt. At nobis ipſis ab ipſa natura non tantùm affectionis, ſed etiam actionis multa poteſtas in meliùs & deteriùs eſt conceſſa, quemadmodum poſteà dicemus. Quoad igitur nos feliciores fore putamus, innouationẽ aliquam, vel in nobis, vel in rebus nobiſcũ coniunctis inſtituimus: quod quidem ſemper fit ſecundum ſpecies animis noſtris cõceptas: quæ ſi veræ ſint, vti iam diximus, rerum ipſarum ſimilitudinem gerunt: ſed falſæ frequenter eſſe, noſque, tanquam eſſent veræ, vel in hanc vel in illam partem impellere ſolent. Non enim animus res ipſas ſequitur, ſed earum conſpectas intus ſimilitudines, à quibus etiam ipſe commouetur: itaque ſi quis putet amicum ſuum aliquem eſſe vicinum, cuius colloquio libenter fruatur, etiam ſi non ſit is ampliùs in hac rerũ natura, cogitationem ſuam, quantumuis falſam, voluntatibus & actionibus ſequetur: & hoc etiam in reliquis omnibus cogitationibus noſtris locum habet. At cùm non tantum animus ſpecies rerum externarum per ſenſus concipiat, verùm etiam ſuas quas intus habet, in eandem tabulam deducat, quę tabula formis omnibus com-

Bonum & malũ.

Animus ſpecies non res ſequitur

præ-

prӕhendendis eſt à natura deſtinata, hӕ ſu apte vi nec ſerium verũm, aut falſum continent, nec verũm bonum aliquod, aut malum oſtendunt. Itaque nos ſæpiùs, quo tempus fallamus, et rebus ludicris nos oblectemus, in hanc tabulam inanes quaſdam imagines depingere ſolemus, eorum quę in rerum natura non eſſe ſcimus: quòd ſi verò ea iam eſſe cogitemus, aut pronunciemus, ſtatim fallimur atq; mentimur: falſitas igitur in eo propriè non eſt, quòd imagines conceptę non ſint conſentientes rerum naturæ, nam ſæpè conſentaneas non eſſe ſcimus, cùm interim eas animis noſtris verſemus, ſed quòd, cùm non ſint, tamen eas eſſe conſentaneas iudicemus: at quod verum eſſe iudicamus actionibus noſtris ſequi ſolemus. Hanc itaq; tabulam animorum noſtrorum diligenter nos animaduertere decet: quoniam eſt proculdubio & ad rerum propoſitarum, & ad aliarum plurimarum cognitionem maximi momenti. Quòd autem omnia ſuam ſimilitudinem in proxima quæque continenter effundant, & ex alijs multis, & ex ſimulacris per lucidum aërem, per vitra, ſpeculaque varijs modis in oculos, in animos, & ex his rurſus in inſtrumentum cogitationis delatis, intelligi poteſt, non citra ſummam & admirationem, & oblectationem. Hæ verò species

Phantaſia per ſenſum communem concipit ſpecies externas et concipit etiã ſpecies eqrũ quæ animis noſtris continentur per mentem.

Species ludicræ.

Mentis tabula bifariam depingitur.

Species rerum effunduntur.

Species animis conſeruantur. non tantùm concipiuntur, ſed etiam animis noſtris conſeruantur: nam & rerum abſentium imagines in nobis cernimus, & eas ex memoria noſtra repetere ſolemus. Tot ergo taleſque ſunt imagines, quæ tabulis animorum noſtrorum continentur, & veritas atque falſitas in eo eſt, quemadmodum iam dicebamus, non quod ſpecies inanes concipiamus, ſed quod eas naturæ conſentaneas eſſe male iudicemus.

Mendacium. Mendacium verò propriè eſt, cum conceptæ ſpecies cùm oratione non conſentiunt, vt cū aliquid dicimus aliter quàm cogitamus. In hac tabula non tantùm rerum omnium & hominum, ſed noſtram etiam imaginem conſtituimus, atq; eam cum ijs rebus conferimus quæ conſeruationis vel mutationis aliquam poteſtatem habent: & hinc oritur ſtatim cognitio boni vel mali.

Cognitio boni vel mali. Nam quæ nos in malo conſeruare, vel in deteriùs mutare poſſunt, mala dicuntur: quæ verò felicitatem noſtram vel tuentur vel augent, ab omnibus bona nominantur. Cùm igitur cogitamus imaginem aliquam, qua in eodem ſtatu felices ſimus, & eam rebus conſentaneam eſſe putamus commoueri minimè ſolemus: nam prius ex boni defectu appetentiam prouenire diximus: ſi verò talis imago ſit, quæ nos in malo poſitos oſtendat, aut imminentem aliquam cala-

mitatem indicet, aliam feliciorem mente concipimus, & ſecundum eius cum priore differentiam res propoſitas & noſmetipſos mutare conamur. atque hoc etiam ad meliorem conſtitutionem locum habet: ſi nimirum mutatione quapiam nos adhuc feliciores, quàm ſumus, fore ſperemus. Verùm quoniam actionem cognitio naturâ præcedit, inprimis intelligere oportet an verè rebus conſentanea vel diſſentanea ſit imago: ne nos decipiat falſum bonum vel malum, in quo ſtudium & diligentia plurimùm valet. Quapropter, vti paulò ante dicebamus, plurimùm refert, vt ciues omnes, à tenera præſertim ætate, in ſtudijs veritatis inſtituantur, & ad eam inueniendam omnem diligentiam adhibere aſſueſcant. in hac enim vna re præcipua certè momenta felicitatis communis ſunt ſita: quod non tantùm ex omni tempore præterito, ſed ex noſtro maximè cognoſcere licet, in quo tantam perturbationem videmus, quantam potiùs deplorare queamus, quam facile ſedari poſſe ſperemus. Certè oportet vt verum bonum, & malum intelligamus, & vt eos qui idipſum rectiùs intelligunt, admiremur atque ſequamur: niſi ſæpè falſum amplexari, reſque noſtras & publicas omnes, & priuatas peſſum ire velimus. Cũ autem de motibus animorum inſtituta iã

Initium actionũ noſtrarũ

Erga veritatem diligẽtia maximi momenti.

nobis eſſet oratio, paulò latiùs cognitio-nis humanæ tabulam deſcripſimus, quæ rationem omnem eorum & differentiam nobis facilè demonſtrabit. Quatenus enim circa illam, aut ea quæ nobis exprimit, liberè verſamur, voluntarias, alioqui potiùs naturales aut violentas actiones exercemus.

De Libero Arbitrio. CAP. X.

NVNC, quoniam in hanc tabulam nos liberam poteſtatem habere diximus, quæ ſit iſta poteſtas paulò diligentiùs inquiramus, & deinde quomodo in animos noſtros, & res externas ſuum habeat imperium, oſtendemus. Quòd autem libera quædam poteſtas in animis noſtris ſit, omnium ſententijs, exceptis paucis, qui vel cuncta fato conſtringunt, vel omnia temeritati fortunæ relinquunt, plurimiſque rationibus & experimentis eſt manifeſtum. Nulla verò virtus aut vitium, nullum iuſtum præmium ſit aut pœna, nulla lex nobis ponenda fuerit, ſi non ad cognitum bonum proſequendum, malumque vitandum, liberum motum haberemus: his autem de medio ſublatis, non eſt quòd de Rep. ſcribamus aut cogitemus, & ideo paulò diligentiùs

hane quæſtionem à nobis hic explicandã putamus. Sunt qui dicant talem quoque eſſe legum vim, qualis eſt reliquorum, quę ſunt in hac natura. Quemadmodum enim hæc omnia ſpeciem ſuam in proxima quæque & in animos noſtros effundunt, qua quidem alios impelli cernimus, alios parum aut nihil commoueri: quatenus hæ vel illæ rerum & animorũ vires ſunt pares aut inferiores vel ſuperiores: ita quoque poſitas nobis eſſe leges, quarum vires & animis concipiantur, & eos dum abblandiuntur, dum comminantur, in hanc aut in illam partem impellant, non quidem liberis, ſed neceſſarijs motibus, quibus ordine naturæ cuncta feruntur in ſuos, in huius vniuerſitatis, & in diuinæ prouidentiæ fines. Quãquam autem legum vim aliquam naturalem eſſe confitear ad animos hominum impellendos, quæram ab ijs, qui ſic argumentantur, anne malum aliquod & vitium in rebus humanis ſtatuant, an eius inane tantùm nomen eſſe putent: ſi malum aliquod eſſe confiteantur: quæram iterum, vnde nã illud prouenire in hanc naturam, & vnde nos pręmium & pœnam promereri dicant, ſi non ab ijs, quæ in noſtra poteſtate ſunt ſita. Quoniam enim, ſecundum optimos Philoſophos, imo verò ſecundum eos omnes, qui aliquid mentis habent, à ſummo

A ſummo bono malũ fieri neſquit.

bono cuncta ſuam obtinent naturam, & quoniam ab eo nullum malum fieri poteſt vnquam, neceſſarium eſt, vt aliqua natura ſit, quæ ſe libero motu gubernet, & etiam ad malum propriam habeat poteſtatem: cùm tamen ipſa verè ſit optimum quippiam, nempe præcipua pars vniuerſi. Nec verò me vehementer mouet, quod de primi peccati corruptela dicunt, à quo iam humana natura ſit ad omne vitium prona. eo enim omnes pariter mali ſumus, non autẽ inæquabiliter nos malos reddimus. At ſi fiunt indies alijs alij deteriores, oportet, vt in nobis reliquiæ ſint aliquæ eius primæ naturæ liberæ, cuius aſſenſu primum peccatum eſt in naturam humanam introductũ, à quibus peccata, quæ committuntur indies, ſuam differentiam habent. Aut oportebit nos alioqui confiteri, nullum eorum eſſe diſcrimen, ſiquidem nullas actiones noſtras liberas, ſed omnes neceſſarias iudicemus. Nam quamuis homines ab hominibus natura diuerſi ſint, ex eo ſolo nec præmium, vel pœnam commerentur, nec etiam ipſi propriè peccare dicuntur. Verùm obijciet rurſus fortaſsis aliquis, nullum actum vnquam in hanc naturam prouenire, niſi ab eo quod iam ſit actu (his enim vocibus more Philoſphorum vtemur, quoniam alijs commodioribus caremus) & ideo

Malum omnenõ eſt à ſolo peccato originali

Nullum peccatũ præter originale fuerit, ſi non eſt libera voluntas.

Peccatũ originale nos ipſi propriè committere non dicimur.

à pura

à pura & otioſa poteſtate, ſine noua cauſſa, confici non poſſe & intelligendi, & agendi tàm multiplex opus. Id quod manu tenemus, in hanc & illam partem impellimus: manus autem ab alijs corporis membris, & hæc à ſpiritali quadam natura, atque ab anima mouetur: ſic vnus motus alterum antecedit, donec ad primã omnium cauſſam fuerit deuentum. Sed iam quærimus, vndenam illud primum initium commoueatur, non quidem à ſeipſo: nam quemadmodum ſcribunt Phyſici, vna pars moueretur, & alia pars totius eam moueret: in qua etiam noui motus cauſſam inquirere, vel eius motus

Si nihil fit ſine cauſſa, ergo ſine cauſſa nec velle poſſim'; quæ cauſſa, ſi totã actionẽ ſibi vendicat, ea potius erit actio naturalis & neceſſaria.

ſaria: ſi totam eam ſibi non vẽdicat, illius partis, quæ cauſſæ priori non debetur accepta, fuerit alia cauſſa quærenda, ne quicquam ſine cauſſa fiat, & illam cauſſam illa pars actionis neceſſario ſequetur. In motu eſt aliquid quod mouet, & quod mouetur: ergo in eo quod ſeipſum mouet, vna pars mouebit & alia mouebitur, ſecundum Ariſtotelem. Verùm Plato nec id quod mouet ab eo quod mouetur, nec ab ijs duobus in anima motum diuerſum eſſe dicit, cuius nimirum eſſentia ſit in proprio ſuimetipſius motu. Sed adhuc manet quæſtio, cur ſine cauſſa ſe moueat potiùs in hãc partem quam in illam. ſi verò ſine cauſſa quicquam fieri dicamus, totam rerum naturam, & primam omnium cauſſam cogitationibus noſtris euertemus, & ideo cauſſam aliquam omnis motus ſtatuere debemus.

tus perpetuitatem confiteri cogeremur: ſiquidem quod priùs non erat, ſine noua cauſſa iam fieri dicere nolimus. Quærimus autem vndenam id quod in nobis omnium primum eſt, cùm antea quieſceret, ita nunc moueatur, vt nos totos in hanc vel illam partem transferat, nam tantam eam vim oblata boni maliúe ſpecies habere ſola nequit, quod tamen quiſpiam fortaſſe negarit, qui à minimo quodam ignis exordio totas ſyluas & ciuitates viderit conflagari: ita namque formæ minimam energiam, in materiam paratam, maximum quiddam efficere poſſe dicet: animam autem eſſe tanquam materiam, in qua, per ſpeciem boni maliúe motus admirabiles excitentur. Sed vt hæc omnia meliùs intelligamus, paulò latiùs & hîc & alibi nos poſſe digredi putamus. Tales verò motus non tantùm in animis humanis, ſed etiam in brutis, & rebus anima carentibus cernere licet. Nam & animantia reliqua boni maliq́ue ſpecie concitantur, & colocynthis pituitam, ſcāmoniumq́ue bilem, per ſpeciem aut qualitatem illi ſimilem, trahit; & contra per ſpeciem diſsimilem, olea cucumerē, vitis braſſicam repellit. Formarum enim cum materia coniunctarum ſimilitudo quædam per medium accommodatum circumfunditur: quæ quatenus rebus, in quas incidit,

conſentanea vel diſſentanea fuerit, earum vim auget vel diminuit, & nouæ cuiuſdam operationis cauſſam præbet.

De formis rerum, anima, eius actu & poteſtate. CAP. XI.

FORMAS autem de quibus hic loquimur, Entelechias & intimas rerum perfectiones appellare ſolent, à quibus materia ſuum omnem ornatum acquirit, vt ſi rudem luti maſſam cogitationibus noſtris nobis proponamus, & excellentiſsimum artificem quempiam, qui abſolutiſsimam alicuius ſpeciem mente ſua concepit, ad cuius ſimilitudinem ſuperficiariam aliquam luto figuram inducit: & rurſus intelligamus talem ſpeciem ſuapte vi iam in ipſa materia verſari, quæ cum ea ſit ab ipſa natura in vnam ſubſtantiam coniuncta. nunquid illa, etiam interna materiæ quæq; ſuam ad imaginem conformabit, eamq; totam indiuidua ſua vi compræhendet? at cùm ipſa ſit in actu continuo, non autem in quiete, hinc omnes actus reliqui nutricationis, incrementi, ſenſus & motus in nobis ſuam originem habent. Talé igitur naturam nos formam appellamus, quæ quidem non tantũ materiam ſuam, natura ſibi coniunctam,

compræhendit, gubernat, exornat, ſed etiam ex ea vim ſuam & ſimilitudinẽ in proxima quæq; diffundit, et quoad hæc in res diuerſas incidit, diuerſarum mutationum et operũ eſt effectrix. Verùm iã pauld liberius adhuc Phyſicorum limites attingam, primæ formæ ſimpliciũ corporũ ſunt, vt cæli, ignis, aëris, aquæ & terræ: inter q̃ cælũ eſt alterius & quintæ cuiuſdã naturæ, à qua & tamẽ hęc inferior in omnẽ partem vehemẽtiſsimè commouetur: reliquorum quatuor elementorum ſingulæ formæ quoq; ſuam ſimilitudinem effundunt, ignis calorem, terra frigus, & alia quæque ſuam, quæ dũ concipitur à proximis, inde caleſcunt, refrigerantur, aut aliam quampiam qualitatem acquirunt. Iſtæ qualitates, quæ concipiuntur & conſeruantur in elementorum ſubiecta materia, iam accidentia nominantur. Quædam autem formarum vires ita per medium ſpacium transmittuntur, vt interim illud mutare non videantur, vt cùm magnes ferrum, citra medij aëris affectionem trahit. Has cum ad communes & notas elementorum vires referre non poſſunt, proprias & occultas nuncuparunt: quas ex ſua propria conſtitutione, ſympathia vel antipathia rerum produxit. Quatenus autem citra mediorum affectionem ſenſus, & maxime viſus, aut etiam ipſa mẽs afficitur, propriè ſpecies appellantur. ita

lucis, coloris, ſoni, virtutis, oratoris perfe-ʼcti ſpeciem dicere ſolemus. Idem tamen frequenter eſt, quod hæc omnia profert. Vis ſiderum luce coloreque noſtros oculos afficit, calorem & frigus etiam affert, & occultis motibus vniuerſam naturam impellit. Fulmẽ aures, aëris diuerberatione ferit, oculos ſplendore mouet, calore verò adurit: vt interim occultam eius vim prætermittamus. ita, propter diuerſas diuerſarum rerum ſympathias vel antipathias, ab eodem diuerſę proueniunt affectiones. Species autem affectionum dum ab inſtrumentis externorum ſenſuum ad inſtrumentum ſenſus interni transferuntur, non tantùm ab eius forma, quam animam appellant, concipiuntur, ſed etiam conſeruantur, & ex memoriæ teſauro rurſus in phantaſiæ lucem exponuntur. Et iam vt ſpecies, à quibus ſenſus & mens afficitur, meliùs intelligeremus, à rebus externis per corpus ad animam progreſsi ſumus. Huic autem imagines omnium rerum admodum artificioſè natura quoque ſagax inſculpſit: vt cæli, terræ, hominis, leonis, reliquarumque rerum omnium, quibus ſingulares iſtas rerũ externarum naturas metiremur. Non enim hominem, aut leonem, ſed colorem et figuram externam cernimus, & ex ijs quæ cernimus, hominem aut leonem eſſe iudicamus:

mus: propter eorum veritatem nobis inſitam á natura, quæ tamen ſuis circumſtantijs, & tanquam veſtibus proprijs ſemper eſt induta. Itaque Plato noſtrorum animorum naturam, inſtar vniuerſi, ſphærica, non quidem corporata, ſed incorporea diuinaque, corporeæque tanquam exemplari, figura conſtare dicit, quæ rerum omnium varietate quoque ſit ab origine depicta, & omnium veras imagines contineat, charactere ſigilloq; diuinæ mentis tanquam expræſſas: illæ in cognitionis tabulam, quemadmodum paulò antè dicebamus, deducuntur, & animorum luce colluſtrantur: in quam etiam ſpecies rerum externarum adumbrantur. Habet autem animus æthream, & aëream naturam ſibi tanquam circumfuſam, corporique rotundo præcipuè incluſam, quod nos caput appellamus, & tanquam diuinitatis plenum, ne terræ ſordibus contaminetur, vtque minus iniurijs obnoxium ſit, humeris noſtris geſtamus. In ætherea iſta natura (ſiquidem pura, perſpicua, ſerenaque fuerit, & intelligentiæ luce clara) hæ ſpecies animorum, & etiam rerũ externarum, tanquam in ſpeculo quodam à nobis cernuntur: & hæc aërea æthereaq; natura præcipuum eſt intelligentiæ inſtrumentum, cuius etiam anima, quemadmodum & reliquarum partium, eſt forma; &

[Margin: In timęo]

[Margin: Species animorũ et rerum externarum in phantaſia.]

[Margin: Species animorũ et rerum externarum in ſpiritu puro atque perſpicuo, intelligẽtiæ luce cernuntur.]

vnius actus cum alterius actu viciſsim conſentire, vniuſque affectio affectionem alterius ſequi ſolet. Sed iam à propoſito noſtro fortaſſe nimis longè digreſsi ſumus; verùm non videmur intra limites diſciplinarum tam arctè vel poſſe, vel debere concludi. Nam qui magno impetu ad metam aliquã properat, ita curſum ſuum cohibere nequit, quin próximos fines attingat: & certis temporibus atque locis exundantes fluuios ſuam etiam vtilitatem ſecum afferre videmus. Cùm autem tam religioſè intra noſtros fines nos continere volumus, & vicinos attingere tam vehementer veremur, ſæpè fit, vt multum medium ſpacium incultum relinquamus, ex quo plurimi optimique fructus colligi potuiſſent. Actiones etiam animorum noſtrorum, quæ maximè veniunt in hanc conſiderationem, cũ voluntas ad res gerendas ſemper, veluti neceſſarium ducem, intellectũ requirat, ſine huiuſcemodi rerum notitia planè cognoſci non poſſunt. Tabulam autem animorũ, & in ea ſpecies iſtas paulò latiùs mihi nunc deſcribẽdas putaui, quò melius cognoſceremus, quid poteſtatis ad actiones noſtras haberent. Diximus itaque formas omnes ſuam habere naturalem agendi facultatem quæ per qualitates & ſpecies conceptas aliquid agat: quod quidem non ſingulis ſeparatim,

paratim,ſed vniuerſæ compoſitioni referatur acceptum. vt forma ferri cum ſpecie magnetis coniuncta ad ferrum accedit,forma oculi cum ſpecie coloris videt, vel potius forma inſtrumēti interni, quod in medio cerebro natura collocauit. idque cum reliquis animantibus nobis eſt commune, quatenus animam & ipſa, formam nimirū ſui corporis,habent. Internum itaq; principium motus cum externo per ſpeciem ſe coniungit ad talem aliquam actionem, quæ vtrique debetur: vt dum videmus, dū audimus, dum bonum expetimus; quam actionem vtriuſque vnum ſolum principium motus ſi proferre poſſet, aliud motus principium non deſideraret. At nunc ab eiuſcemodi principijs pleraſque noſtras actiones non prouenire videmus,& propterea aliud adhuc principium motus inquirendum eſſe putamus, quod nos liberum, non autem naturale vel neceſſarium eſſe cenſemus. Verùm autem ſemper eſt, quod Philoſophi dicunt,nihil vnquam ſine cauſſa fieri, nec vnq̄ effectum aliquod cauſſæ ſuæ maius eſſe;ne Deum ipſum,aut aliquid illi maius vnquam, cùm prius nō eſſet fieri potuiſſe credamus. nam ſi cauſſa non requiritur ad alicuius effectionem, Deus neceſſarius non erit, & ipſe quoque temerè fieri potuerit; quemadmodum & reliqua

Cauſſa prima excepta, reliqua cūcta cauſſā requirunt.

cuncta:fieri poterit etiam aliquid eo maius, ſiquidem effectum cauſſam ſuam ſuperare poteſt. Verùm eſt etiam quod dicunt, omnem actum & energiam ab eo prouenire,quod iam eſt energia: nam quod non eſt energia,ſed tantùm vt aliquando ſit:aptitudinem quandam habet, tanquam in rerum natura non eſſet,haberi poteſt: quod quidem eatenus nullam adhuc obtinet agendi poteſtatem, quæ poteſtas agēdi propriè poteſtas nominatur. Eſt alia poteſtas nimis à Peripateticis vſitata,qua aliquid eſſe,hoc eſt habere quippiā poteſt,vt materia hāc formā vel illam,ſubſtātia vel hoc vel illud accidens: & hæc quidem poteſtas impropriè nominatur: nam prioris ſignificatio magis eſt ab omnibus gentibus recepta: nihilominus quæ talem exiſtendi poteſtatem habent, neceſſario ſunt etiam in hac rerum natura, nec ipſa quicquam vnquam efficient, niſi poteſtas illa fuerit à genere prioris poteſtatis in actum priùs redacta. Tametſi verò forma totius corporis & ſingularum partium, quatenus illud aſsiduo compræhendit, ſemper eſt energia: tamen quantùm ad actiones, quas non exercet, nouam energiam ab alio:quod iam energia ſit, requirit, quæ cum priori ſe couiungat. Anima ſemper eſt forma ventriculi, cumq; energia caloris moderati cibum præſentē

7. metaphyſ.

conco-

concoquit: quod quidem continuò fit, propter continuam formæ atque caloris energiam. Actiones aliæ propter diuerſas cauſſas ſeſe intermittunt, vt audiendi actio, quando nullum corpus diuerberatur. Idē de ſenſu interno & appetitu in omnibus animalibus eſt dicendum: ſpeciem enim nouam horum inſtrumentorum forma poſtulat ad actionem, ſpeciem ſcilicet veri, boni vel mali, cuius actus cum animæ actu ſe cōiungat ad nouas intelligentiæ atque deſiderij actiones. Verùm anima naturaliter & neceſſario, quatenus forma corporis eſt, agit, atque animantia rei ſenſibilis præſentia ſemper ſentiunt, & ſemper expetunt, cognita ſpecie boni vel mali. Atqui iam quærimus an homines aliam quandam habeant, & quidem liberam non naturalem & neceſſariam, agendi poteſtatem, à qua virtutes & vitia ſuam originem ducant. Quòd ſi verò anima quatenus eſt actus & forma corporis, & alterius actus præſentia commouetur, non ſemper aliquid neceſſario facit, cùm nihil ſine cauſſa fiat, oportet nos aliam quandam priorem cauſſam motus et quietis inueſtigare: qua quidē animus humanus quatenus propriam ſuam naturam & qui quidem non tantum aliorum actuum poteſtatem habet, ſed & habitus veri boniq;, hoc eſt, perfectiones concipere poteſt, quib. intellectus & volūtatis actus ſunt perfectiores.

Species veri & boni intellectus & voluntatis poteſtatem redigūt ad energiam. Intellectus autem et voluntatis poteſtas, actu liberę naturæ continetur:

& liberum actum habet, aliquid agit, qui tamen ſe cum prioribus ad actionem coniungere ſolet. Quòd autem ſpecies boni vel mali ſæpe præſto ſit, nec eam tamen ſequamur, eſt manifeſtum. Quid, quòd in ipſam ſpeciem multam poteſtatem habemus: nam eam, cùm libitum fuerit, in mentis tabulam, quam priùs deſcripſimus, deducimus, rurſuſque expungimus, & aliam ſubſtituimus in eius locum. idque non facimus, quatenus anima corporis forma eſt, cui ſpecies boni vel mali ſe coniungit: eatenus enim, vt dū alimur, dū videmus, energiam actio neceſſario ſequeretur. Quoniam igitur vno bono vel malo propoſito, illud proſequi vitareúe, vel etiam quieſcere, & pluribus bonis aut malis propoſitis, alterum alteri præferre poſſumus, oportet actiones iſtas ad aliquam aliam cauſſam referri, quæ tamen cùm ſemper non agat, difficile cognitu, quomodo & à quo dum quieſcit, redigatur ad actionis energiam. Plato noſtram animam à ſe moueri dicit, quæ quidem eius ſui motus aliud principium non requirat. Verùm, ſi motus ille naturalis eſt, non pertinet ad hunc locum: ſi voluntarius, quærimus vnde ſine noua cauſſa proueniat nouum effectum. Cùm intellectus atq; voluntatis in nobis poteſtatem habeamus, quæ ſubinde redigitur in hanc

vel illam energiam, oportet vt cauſſa quoque noua, nouam energiam,& eam rurſus alia præcedat. nec tamen in infinitum ſpatium progredi licet, per quod nihil vnquã fieri poteſt:ſed oportet, vt aliquando motum ſiſtamus, & ad vltimum aliquod perueniamus: quod ſi à ſeipſo moueri nequit, immobile iure ſtatuemus, quanquam ſiue immobile, vel per ſeipſum mobile ſtatuamus,non refert.Dum enim animam noſtrã ſuapte natura mobilem dicit Plato, non eam gigni vel corrumpi, non augeri vel diminui, non incaleſcere vel refrigerari, nec etiam per locum moueri putat, quemadmodum eſt à nobis alibi diſputatum: ſed eam ſuimetipſius energiam & actum quendam eſſe vult, in qua ſententia & Ariſtoteles quoq; fuit:vt potiùs eſſe de nominibus, quàm de rebus omnis illa contentio videatur. ſed Ariſtoteles immobilem naturam eius eſſe vult, à quo reliqua ſuum motum habent, nec eius quod eſt immobile, cùm ipſum non moueatur, motus quæri cauſſam debere putat.Verùm,libenter interrogauerim,quomodo ab eo quod eſt immobile,quippiam primò moueatur,quod antea quieſcebat. Non enim, vt ſæpius idem repetamus,nouum effectum ſine noua cauſſa prouenire poſſe, videtur: vnde mundi perpetuitatem idem Philoſophus aſſerere cona-

In Phæd

l. 2. de ani.

Animã immobilem ſtatuit Ariſtot.reliqui motus cauſſam.

conatur, quod Deus nimirum immobilis mundi auctor ſit,& citra cauſſæ mutationẽ aliquam, quod priùs non erat, putet prouenire non poſſe.

Quomodo Voluntas ſit libera. CAP. XII.

QVONIAM itaque natura, de qua nunc agimus, libera eſt ad omnem ſuum motum, & etiam quietẽ, quomodo cùm ſimplex ſit,tam diuerſa continet? & cur, cùm antea quieſceret, ſine cauſſa nunc magis vnius quàm alterius eſt operis effectrix? hoc .n. eſt quod hactenus tantoperè quærimus, & inuentu difficillimum eſſe iudicamus. Atqui ſi ſuapte natura magis vnius quam alterius cauſſa eſſet, ipſa certè libera non eſſet,ſed illud quod potiùs eſſet, perpetuò faceret. ſic ignem calefacere, Solem lucere, cunctaque naturæ ſuæ conſentaneum aliquid agere videmus. In hac autem agendi cauſſas naturales & neceſſarias ſtatuere nõ debemus, niſi planè naturam, quam liberã eſſe dicimus, euertere velimus: quamuis enim boni maliùe ſpecie ſępius excitetur,nõ tamen ſemper cogitur. Libera enim dicitur, quoniam omnia pariter ſua poteſtate libera comprahendit, quæcunque diuina prouidentia eius imperio ſubiecit: imò verò

Libera poteſtas inanimis eſt cauſſa motus,q̃ ſeipſam in opus aliquod exerit, nec cauſſam antecedentẽ requirit, cui totum opus tribuebatur, quamuis excitatur à reb. externis.

rò nihil aliud eſt ipſa, q̃ agendi quieſcendiq́ue libera quædam poteſtas, quæ ſuum actum cum actu corporis, qualitatumq́ue conceptarum coniungit: vt dum bonum malumúe volumus aut nolumus, quod videmus, quod audimus, quod cogitamus. Iudicamus igitur ab huiuſmodi quadam natura libera, de qua libertas tanquam naturale & proprium quiddam dicitur, omnes has energias, in quibus virtutes ſunt & vitia, non autem à ſola prouenire ocioſa poteſtate, quæ nouam aliquam agentem cauſſam operationis neceſſario requirat, cui totum opus referatur acceptum. Ipſa enim libertas, hoc eſt agendi libera poteſtas, operationis præcipua cauſſa eſt, quæ voluntariam omnium actionum ſuarum vim habet, quemadmodum ignis calefaciendi naturalem & neceſſariam. Hæc autem ſi non agendi, ſed habendi exiſtendiq́; poteſtas tantum eſſet, aliam agendi poteſtatem, à qua redigeretur ad energiam, deſideraret, quemadmodum paulò antè dicebamus. Nec ab eo quod non eſt, aut ſine cauſſa fieri quicquam dicimus: eſt enim in animis noſtris verè libera quædam energia, quæ continet omnes voluntarias actiones, & eas ex ſua poteſtate ad energiam redigit: qua, velut ignis, qui iam eſt in natura rerum, calefacit, ita quippiam volumus

Libertas eſt naturale quiddam, nõ externũ & aſcititium in animorũ energia.

mus cùm libet. Hæc igitur energia multiplices voluntarias energias profert, quas omnes ſua agendi poteſtate continet, ita vt illa libera agendi poteſtas ſemper verè ſit in rerum natura:hæ verò,quæ tantùm in illius poteſtate ſunt,ex ipſa,ſuis temporibus in naturam emergunt. At potiùs has profert quàm alias energias, quoniam ad omnes liberam naturam habet,in qua quidem eſt principium motus voluntarij conſtitutum. Quanquam autem actio prius non fuerit (non enim ſemper hoc volumus aut illud) libera tamen natura, hoc eſt libertas, ſemper in animorum noſtrorum actu fuit, quæ ſuapte vi & impetu voluntariarum actionũ principiũ eſt et cauſſa ,à qua reliqua poteſtas intelligendi atque agendi redigitur ad energiam , etiamſi externis quoque motibus excitetur & prouehatur, quemadmodum iam dicebamus:eſt inq̃ liberum actionum principium, quam diu nondum exijt in aliquod opus. Tunc enim hoc naturæ neceſsitati ſubijcitur, qua, ꝙ factum eſt,infectum nullo modo fiat.Quemadmodum autem Solis & Lunæ, reliquorumque ſyderum intimam quandam eſſe naturam ſcimus, è qua lucem, in hoc vniuerſum huius vniuerſitatis ſpatium effundi non ignoramus, quæ tota virtute ſui principij continetur:ſic etiam energias liberas,

hoc eſt animos noſtros,dum aliquid volumus, dum aliquid intelligimus & facimus, non neceſſariò,ſed voluntariè vim ſuam in ſeſe & in res externas emittere, indicare debemus:cùm interim omnis ea vis in intimo quodam ſui principij actu, hoc eſt in animorum noſtrorum natura, conſiſtat: qui quidem intimus & naturalis actus, in omnes alios ſuos actus voluntarios ſuam habet certè poteſtatem. vt, quoniam liberæ cogitationes noſtræ ſunt, ſi liberum in igne calorem intelligamus, quamuis aliquando non calefaciat, interim nihilominus & nomen ſuum & naturam retinebit. Non enim ipſe calor, ſed quod calorem profert,ignis eſt & appellatur. Ita duas hîc energias, ignis ſcilicet, & caloris, quarum vna principium alterius ſit, iam habemus: vnde quodammodo intelligere poſſumus, quomodo ab energijs liberis aliæ quædam energiæ naturales proferantur. Naturales appello, quæ iam ſunt in ipſa rerum natura. Actus igitur intimus animorum noſtrorum naturalis eſt, quoniam in rerum natura verſatur, & ad alios tamen comparatus, quos habet in ſua poteſtate, meritò liber appellatur. Oportet autem vt habeat ſubiectam materiam in quam ſeſe exerceat. ſic ignis nec calefaciet nec vret, niſi ſit aliquid, quod excalfiat & vratur, nec Sol lucebit,

Actiones habent ſubiectā materiā.

niſi

niſi perſpicuum ſit, quod illuſtretur. Materia voluntatis bonum vel malum eſt, quod per ſpeciem in intellectu, quem practicum vocant, ſeſe offert. Ea verò materia ſimplex eſſe nequit: nam in vno poteſtatem eligendi non habemus. Itaq; cùm vnum aliquod ſolum ſeſe offert, vt in repentinis motibus fieri ſolet, in eo liberum imperium locum ſuum non habet: ſed vbi vel plura bona vel mala, vel vtraque pariter ſeſe offerunt, vel vnũ, quod facere vel non facere poſsimus. Ea materia propoſita cũ fuerit, iam libere poteſtatis actus, qui priùs veluti viſus in tenebris erat, eluceſcit: & quidem ſui iuris eſt, quam diu circa materiam oblatam aliquẽ voluntatis actum non produxit. Animus autem humanus nõ tantùm poteſtatem ſuam in materiam oblatam habet, ſed dum ſpecies veri boniq́ue in cogitationis tabulam exponit, tanquam materiam, in quam ſeſe exerceat, ipſe ſibi facit: in quam etiam ſuam obtinet poteſtatem: & ſic vtramque quodammodo agendi & concipiendi vim habet. tabulam intelligentiæ depingit rerũ omnium figuris, quibus vniuerſitatis fabricam imitatur, & etiam alijs, quas hæc vniuerſitas non vidit. Quòd ſi verò hæ figuræ ſæpe rebus ipſis non reſpondent, omnia tamen ſemper reſpondent intelligentiæ voluntatiq́ue Dei. Cùm igitur animus ſpecies

Voluntariarũ actionũ materia.

Animus habet in ſe poteſtatem.

veri boniq́ue ſibi proponat, & cum ſpecies externas per ſenſus concipiat, & ab ijs affi- ciatur, affectionis actus cum actu libertatis ſe coniungit ad actionem, in qua ferè vo- luntas tenet principatum: quemadmodum & oculi vel auris forma dum videmus aut audimus: niſi tam violenta ſpecies ſit, quæ ſibi vendicet ſummam poteſtatem. Quam- uis enim in animis noſtris eſſe liberam po- teſtatem dicimus, non tamen omninò libe- ram in rebus omnibus eſſe putamus: talis enim eſt ſola poteſtas Dei, cuius nos tamen imaginem quandam habemus. Eiuſmodi verò naturam eſſe quandam in nobis hinc etiam intelligere poſſumus, quòd videa- mus ingenia generoſiſsima, quæque mini- mè falli ſolent, libertatem ſemper plurimi feciſſe. Nihil eſt etiam quod Dei Opt. Max. ſapientiam magis illuſtret: qui non ſo- lùm tot, tantorúmque corporum cœleſti- um, tam varios motus & vires, tam multi- plicem elementorum per omnia tempora compoſitionem, vt interim innumeras illas mentes æthereas omittam, exactiſsimè no- uit, ſed, quòd longè maximum eſt, quomo- do voluntates, quibus nihil eſt obſcurius, cum viciſsitudine rerum omnium conue- niant, in ſummam eius gloriam, & huius v- niuerſitatis exornationem. Ergo libera fa- cta ſumma poteſtas animorum eſt, nimirū

imago

imago quædam eius poteſtatis,qua conſtituta eſt rerum omnium natura: quoad factum æterno,quod ſemper optimum,cum eo quod ſæpe peſsimum, quodque multis violentis caſibus obnoxium, cum eo quod extra vim omnem poſitum eſt,conferri poteſt. Omnia certè Dei Opt. Max. ſimilitudinem quandam, ſed eam animi humani inſignem gerunt, in quibus quidem & naturam & voluntatem quoque conſideramus: illam intimam,qua verè ſunt, & hac rerum vniuerſitate fruuntur: hanc extrorſum vergentem,per quam ex illa nouæ,cum illi libitum fuerit, indies emergunt energiæ: vt dum aliquid facimus, dum animos noſtros cognitione veritatis exornamus, dum eos virtutum & vitiorum qualitatibus imbuimus.

Poteſtas animorũ imago poteſtatis diuinæ.

De ſimilitudine Naturæ Humanæ cum Diuina. CAP. XIII.

SED vt omnem libertatis vim rectiùs adhuc intelligamus, quoniam noſtram naturam diuinæ quodammodo ſimilem eſſe diximus,hanc,quamuis potiùs admirari,quã intelligere velle debeamus, eius imĩenſa bonitate ſemper freti, priuſquam vlteriùs progrediamur, pauliſper conſideremus:

nam inde plurima, quæ ad res propoſitas maximi momenti ſunt, faciliùs cognoſcemus. Exemplaris enim ſimulacríque mutua comparatio, cognitionem vtriuſque continuò facit illuſtriorem. Deus igitur cùm immenſa puriſsimaq; ſit energia, quæ propria, indiuidua, ſumma & incompræhenſa vi, per omnes & ante omnes æternitatis tractus, nullius vnquam alterius indiga, conſiſtat, ſine qua vis vlla aut poteſtas eſſe nequit, nullam certè poteſtatem, ſibi vim aliquam afferentem, agnoſcere poteſt vnquam: in qua quidem voluntatem nondum intelligimus, niſi quoad in ea violentum nullum eſſe ſcimus: ſed eſt in Deo potiùs immenſa ſapientia & amor. Voluntas autem in eo magis propriè dicetur, quatenus ad hanc naturæ fabricam eius æterna vis liberè emanat: quæ fabrica, ſi naturale eius opus eſſet, ab opifice ſuo non diuerſa, ſed cum eo pariter perpetua atque immenſa fuiſſet. Oportet igitur, vt eā diuinæ volūtati referamus acceptam: quæ veluti iam dicebamus, vim nullam agnoſcit, & ſemper eſt cum ſumma ſapientia coniuncta. Itaq; rectè dicunt Philoſophi, primum rerum principium nec eſſe fortuitum, nec etiam eſſe coactum, ſed plane liberum: in ijs verò, quæ ſequuntur hoc principium, neceſsitatem eſſe collocatam. Nam cùm iam

Volūtas Dei.

Mūdus eſt opus voluntarium.

Plo.l. de liber.

aliquid

aliquid eſt in hac rerum natura, non eſſe planè nequit, ne Deum pariter aliquid velle & nolle dicamus. Ergo quæ facta ſunt, quamuis aliter eſſe nec debeant, nec poſſint, nihilominus omnia ſoli diuinæ voluntati debentur: cui nihil eſſe poteſt vel adiumento vel impedimento, & ipſa ſemper ſociam ſummam ſapientiam habet, à qua ſunt omnia ſuam abſolutam naturam conſecuta: & inter ea voluntas humana quoq; continetur, quæ, quemadmodum & reliqua cuncta, ſuam vim omnem voluntati diuinæ debet. vnde fit, vt hæc abſolutè libera dici non mereatur, cùm diuinæ voluntatis imperio regatur. Nec etiam in ijs, in quibus eſt libera relicta, plenum ſuum operis imperium obtinet: ſiquidem multa velimus, quæ certè conſequi nunquam poſſimus. Deinde voluntas noſtra temeritatẽ ducem frequentiſsimè ſequi, atque adeo plurimas & maximas peſtes in naturam humanam inuehere ſolet: Dei verò voluntas ſummam ſapientiam perpetuam ducẽ habet, et omnia ſummæ bonitati conſentanea facit. Quòd autem addunt Philoſophi, bonum non fortuito, ſed ex neceſsitate pariter atque voluntate prouenire, cùm in humanis negotijs bonum non modo neceſſarium non ſit, ſed in ijs potiùs multum malum continuò verſetur, de bono diuino tantùm

Quæ ſũt aut fuerunt per Dei voluntatẽ, neceſsitatem habẽt, quæ cum immutabilis ſit, nõ poſſunt non eſſe vel fuiſſe

Volũtas noſtra non eſt abſolutè libera.

Plo.l. de liber.

Tametſi bonum neceſſario fiat, non tamẽ illud De' facit coactè.

tùm intelligi poteſt. Quamuis enim,vt etiam aiunt ipſi, Deus,cum ſummum bonũ ſit, malum vllum afferre nequeat vnquam, non propterea bonum, cuius auctor eſt ipſe,voluntarium non erit: nam tametſi cuncta neceſſaria quàm optimè fiant, ſunt nihilominùs in eius libera poteſtate, & ab eius vnius bonitate proficiſcũtur, quæ quatenus in malum vergere poſſet, potiùs imbecillitas,quàm potentia, verè diceretur. Quanquam igitur ad huius mundi fabricam neceſsitas cum libera poteſtate ſe coniungat, in Deo tamen nihil coactum & violentum eſſe poteſt: & eius quoq; generis omnia cenſeri debent, quæcunque præter leges huius naturæ fiunt: qua certè natura noluit Deus omnem ſuam liberam poteſtatem contineri, ſed innumera ſibi ſeruare voluit,quæ,cũ illi viſum fuerit,non à cauſsis naturalibus,ſed diuinis,in hac natura rerum exiſtunt. Innumera quoque ſunt non huius, ſed alterius naturæ, quæ nobis, niſi ab eo edocti ſimus, cognoſcere minime licet. Ergo tota rerũ vniuerſitas liberæ Dei Opt. Max. poteſtati extrorſum vergenti, hoc eſt,eius voluntati debetur:illi debetur etiam, quicquid in ea præter ordinum naturæ prouenit,& quicquid illa altera natura gratiæ continetur. Quamuis autem voluntas multiplex eſſe videatur, ac ad huius & alterius naturæ varietatem ſeſe exten-

Volũtas Dei tota non eſt hac natura cõprehenſa.

Miracula multa fiunt indies,quę debẽtur cauſsis diuinis.

Naturã gratię nõ niſi à deo cognoſcere poſſumus.

tendat omnium principia illa puriſsima continentur eſſentia, quam exordia ſucceſſusq; rerum ſuis temporibus & locis imitantur: nec propter rerum mutationem aliqua mutatio fit in Deo, cuius æterna poteſtate voluntateque libera, temporũ omnium, locorum & rerum viciſsitudines cõpræhenduntur: quæ partim ſunt huius, partim alterius naturæ, quemadmodum iam dicebamus: & hanc quidem naturam mentis & corporis oculis videmus, nec aliam eius generis vnquam inueſtigare debemus. Quemadmodum enim, ſi cui tabula propoſita ſit, quæ totum terræ circuitum cum omnibus regionibus, montibus, fluminibus, vrbibus, totoq; maris tractu complectatur, ſtultus fuerit, ſi extra eam, vel regionem, vel vrbem aliquam quærat: ita cùm hæc tota vniuerſitas tanquam tabula ſit è mente diuina expreſſa, extra eam nullo modo nos decet aliquid hiſce rebus ſimile deſiderare. reliquam autem voluntatem diuinam, naturæ noſtræ legibus non compræhenſam, hac acie noſtra cernere minimè poſſumus: de qua nos quicquam pronunciare non licet, niſi quatenus eam vel ipſemet, vel per inter nuncios notæ ſanctitatis expreſsit: cùm ipſe ſolus ſcire poſsit, quid velit, & ij quos ſuæ voluntatis participes facere dignatur, ac habeat ſolus omnem

Libera eſſentia ſimplex.

nem & hanc & alteram naturam in ſua libera poteſtate. ſed nos iam in conſiderationem rerum diuinarum nimis altè progreſſi ſumus. Cùm autem quę non intelligimus velle nequeamus, & cum plurimam ignorantiam ſcientiæ noſtræ coniunctam habeamus, cumque voluntas noſtra mutabilis ſit, atque ſæpius ocioſa, & in eius quod volumus executionem, exiguam poteſtatem teneamus, ac omnia diuinæ voluntati ſemper debeamus: & cùm Deus omnia ſemper intelligat, eiuſque voluntas perpetua ſit, ac omnia voluntatem eius ſequantur, hinc facilè rerum & noſtrarum & diuinarum differentiam cognoſcemus: & tamen obſcuram & anguſtam quandam ſimilitudinem diuinæ poteſtatis & voluntatis liberæ gerimus, quamuis ea frequenter vt decet non vtamur. Cùm verò tota Dei libera poteſtas ſemper ad bonum ſit, non enim ſummum bonum ſeipſum vnquam euertet, rectè factum eſt, vt alię naturæ liberum etiam motum ad malum haberent, quo tamen commune bonum illuſtrarent et promouerent: quod quanquam imbecillitatis cuiuſdam ſit, vti Philoſophi dicunt, ſi nos ſcilicet potiùs cum Deo, quàm cum reliqua natura conferamus, præſtat tamen ad virtutem pariter atque vitium quam nullam omnino nos habere libertatem, & ideo quæ liberam

Libertatis noſtrę cũ diuina comparatio.

poteſtatem habent, reliquis naturæ membris ſunt longè nobiliora. Deus igitur omnia, atque adeo libertatem noſtram bonâ fecit, quæ quamuis in illius libertate ſit, & à ſumma ſapientia dilucidè cognoſcatur, non tamen vi ſemper impellitur, ſed ſui ferè iuris eſt à Deo relicta. Quòd itaque Philoſophi dicunt, libertatem in ſeſe, non aũt in vllius alterius eſſe poteſtate collocatã, de diuina quoque tantùm intelligi debet: nam etiam noſtra libertas eſt in libertate Dei. Quoniam autem in hoc intelligendi tractu, quò pleniùs omnia percipiamus, nos interdum á ſummis ad ima, rurſuſque ab imis ad ſumma progredi decet: omniũ abiectiſsimum locum materia tenet, quam Philoſophi primam vocant, quæ tantùm formarum conceptioni, non autem eſt vlli actioni à natura deſtinata. Formæ ſimplices, vt cæli, ignis, aëris, aquæ, terræ, totam iſtam vniuerſitatis materiam occuparunt: quæ vim ſuam in proxima quæque, quemadmodum diximus, effundunt: & ea vis, quatenus à formis concipitur, accidens nominatur. Iam ex ſimplicibus, iuſta quadam analogia, compoſitionis formæ conſentanea, reliqua cuncta fiunt, & compoſitionis forma vim quoq; ſuam in proxima transmittit. Inter alias autem compoſitionis formas, quæ ſunt alijs præſtantiores, animæ

Plo.I. de liber.

Rerum ordo.

ſunt

ſunt appellatę.Hę cũ actus etiam ſint ſuorũ corporũ, q̃ quidem conſtant ex formis ſim plicium,& ſubiecta materia, vim ſuam cũ vi ſimplicium corporum coniungunt, & eatenus naturales actiones exercent: alimentum trahunt,retinent, cõcoquunt, excrementum expellunt, vitalem operationẽ per vniuerſum corpus diſtribuunt, quemadmodum à Medicis cognoſci poteſt.Coniungunt etiam formæ vim ſuam cum ſpiritali perſpicua quadã ſubſtantia: quæ, quatenus intelligentiæ luce fuerit illuſtirs, ſpecies rerum externarum concipere poteſt: vnde ex vi formæ & ipſius inſtrumenti, varij proueniunt ſentiendi atque mouendi actus: qui ſunt omnes adhuc naturales, & cum reliquis animantibus nobis communes.Sed quædam formæ animæ ſcilicet noſtræ, non tantùm corporum ſuorum, verumetiam actus proprij ſunt: quæ propterea primos illos motus, præſertim ſi non ſunt violentiores,ſequi non cogũtur: quoniam libertatis ſuperiorem & aſsiduum actũ habent, à quo reliqua intelligendi mouendíque mutabilis poteſtas redigatur in hanc vel in illam, vel etiam in nullam energiam. Actus iſti proprij reliquos,qui cum corpore communes ſunt, continent in ſua poteſtate: vt cùm appetentiam, quæ prouenit ex ſpecie boni, formáque corporis, liberè

liberè moderamur. In intelligentijs autem à corporatura ſeparatis talis erat libertas atque poteſtas, vt primus actus boni vel mali perpetuam faceret voluntatē. In Deo verò voluntatis & intelligentiæ actus ſemper eſt cum libertatis, bonitatis & ſapientiæ actu, quemadmodum paulò ante dicebamus. Sed quanquam de his rebus maximis nimis multa dici nunquam poſsint, tamen hactenus de libera poteſtate ſatis, cuius notitia ad exactam virtutum & vitiorū tractationem planè neceſſaria videtur.

De *motibus* Animorum. CAP. XIIII.

NVNC quibus rebus noſter animus impellatur, & quomodo in alios motus libera poteſtas imperium habeat, conſideremus: atque imprimis præcipua motuum genera deſcribamus, quæ quidem in nobis, quia variæ boni malique ſpecies animam, quatenus diuerſarum corporis partium actus eſt, attingunt, ſunt admodum diuerſa. itaq; ſaporibus altricem, iniurijs animoſam, Venereis facultatem generis propagatricem commoueri videmus. Imo etiam ipſa anima, quatenus eſt diuerſarum in eodem corpore forma, ſeipſam varijs modis commouere ſolet: vt dum ſecundum ſpeciem boni

vel mali, quam phantaſia cerebroq́;, quo-ad eſt huius forma, continet, in hanc aut in illam partem corpus mouet, quemadmodum Medicis eſt atq; Phyſicis manifeſtum: ſed horum explicatio non eſt huius tractationis. Cùm quis viderit bonum aliquod præſens aut futurum, natura meritò commouetur, & cor ad conſenſum inſigniter trahitur, in quo hæc affectionum genera, de quibus nunc agimus, præcipuè collocantur. Motus autem qui excitatur imagi-

Lætitia. ne boni præſentis, quo nos illo bono iam

Spes. fruimur, Lætitia vocatur: & Spes dicitur

Triſtitia ille motus, qui boni futuri ſpecie excitatur.

Timor. malùm præſens triſtitiæ ſenſum offert, futurum verò timorem. Et ſiquidem verum bonum aut malum ſeſe offerat, par eſt nos pro eius magnitudine commoueri. ſed quia frequenter falſum eſſe ſolet, ſummam imprimis diligentiam adhibebimus, in verò inueſtigando: deinde in bono quod iam inuenimus, proſequendo, motuq́;, quem falſum bonum malumúe excitauit, coërcendo: cui ſæpe libera vis animorum noſtrorum ſuperior eſt, quemadmodum ex ijs, quæ iam diximus, manifeſtum eſſe poteſt. Quòd ſi inueſtigatione ſedula verum bonum, falſumque planè deprahenderimus, illud proculdubio ſequemur, & hoc facile contemnemus. Cùm autem à rebus externis plurimi proueniant, & diuerſiſsi-

mi motus, inter eos duo ſunt, qui maximè noſtram hanc imam corporaturam, ac per eam animum quoque noſtrum mutant, ab ijs, quæ lingua tactuque percipiuntur. Hi nempe ſenſus corporis neceſsitati præcipuè deſtinati ſunt, & nos faciliùs à rebus incorporeis, atque diuinis abducere, & pariter in naturam humanam plurimas corruptelæ cauſſas introducere ſolent. Animus verò noſter, ſi craſsis iſtis corporis vinculis vehementer ſit irretitus, purioribus illis officijs ſuis liberè fungi nequit, quæ quidem maximè ſunt ſecundum naturam humanam. Cùm itaque iam paſsim corporis maximam, animæ verò nullam curam geramus, ſed abiectiſsimæ tanquam feci cœnoque excellentiſsimam noſtri partem libenter inuoluamus, quantum in nobis eſt, pulcerrimum rerum ordinem peruertimus, naturamque noſtram illam diuinam planè corrumpimus quæ potiùs ab animo, quàm à corpore, ſuam æſtimationem habet, ac eam ad opera virtutis penitus reddimus alienam. Animus enim per voluptatum illecebras concluſus anguſtijs inferioris corporaturæ, circa quam tactus guſtusq; verſatur, ſe facile de loco ſuo dimouere nequit, ſed torpidus iacet, fœda corporis mole tanquam ſepultus: quem oportebat ſemper omnem vim ſurſum intendere, ac

Voluptates linguæ tactu et guſtu percipiũtur.

ad puriores & ſuperiores illas auras æthe-
reas euolare, in quibus iam liberè reſpira-
ret, & puræ viueque virtutis actiones exer-
ceret. quemadmodum autem in reliqua na
tura videmus omnia vim ſuam vel acuere
vel laxare, nec ignem ſemper æquè calidũ,
aut aquam pariter eſſe ſemper humectam:
ſic & libera natura, ſeipſam vel remittere
Diligentia in quo ſit. poteſt vel incitare: in quo negligentiam &
diligentiam collocamus. Quòd ſi verò co-
gitationem continuò ſurſum conuerteret,
facilè cognoſceret, quàm abiecta, quamq;
turpis ſit hæc infima natura, ſi cum illa ſu-
periore, cui deſtinata eſt, conferatur: vnde
ſtatim incredibile rerum diuinarum deſide
rium in animis noſtris proueniret. Qua-
propter ſedulo prouidendum eſt, vt noſtrę
cogitationes in animi quàm corporis ne-
gotijs magis verſentur, & vt qui craſſas vo-
luptates maximè ſectantur, ab ijs longiſsi-
mè abducantur; ſic enim ad medium aliquẽ
virtutis locum poterunt perduci: ſi nimi-
rum ad mentis epulas conuerſi, continen-
tiæ freno diligenter à corporis lenocinijs
Auaritia brutæ noſtri partes arceantur. Iam quoni-
am diuitijs facillimè comparantur ea, quæ
corporis vſibus inſeruiunt, ideo plurimos
vehementiſsimè commouere ſolet: quarũ
tamen materiam, tanquam abiectiſsimam,
in profundis terræ viſceribus repoſuit con

temptrix earum natura. Quis autem ſanæ mentis vel malleum, vel ſerram, vel aliud inſtrumẽtum admiretur, niſi quoad eo peritus artifex ad eximium opus vtatur: & quamuis etiam eximium aliquod opus fiat, hoc ab artifice, non ab inſtrumento ſuam dignitatem habet. Cùm itaque diuitiæ ſuapte natura nullius momenti ſint, & potiùs fiant inſtrumenta malorum quàm bonorum, abiectiſsimi ſanè iudicari debent, qui in ijs omnem ſuam curam ponunt. hi, vt meliores reddantur, à ſpe diuitiarũ planè fuerint abducẽdi, & ad liberalitatis voluptatem modis omnibus conuertendi. At motus de quibus iam diximus, à rebus inferioribus & ignobilioribus excitantur. Inuidi verò cum abiectos animos habeant, alioqui enim potiùs laude digna facerent, quàm aliorum laude cruciarentur, omnes alios, & optimos quoſque maximè, abiectos eſſe velint. Hi diligenter ad res præclaras excitandi ſunt, quibus dediti, non percipient dolorem ex rebus ſecundis aliorũ. Qui calidos ac ſublimes animos habent, & externis multis præſidijs abundant, facilè incidunt in immoderatam de ſe perſuaſionem, & nimium aliorum contemptum. Hi, cùm ſuperiorem tenere videantur, infimũ aliquem, quemadmodum & omnes mali, locum habent. Non enim qui alium depri-

Inuidia.

Superbia.

mit, ipſe ſuperiorem dignitatẽ aſſequitur, cùm neceſſarium ſit, vt deprimendo quoq; ipſe deijciatur, ſed is potiùs, qui ſecum alios virtutibus ſuis euehit in ſublime. Ergo in huiuſmodi hominibus veræ quoq; perſuaſiones falſis opponendæ ſunt, & oſtendendum, eos non eſſe tales, quales ſibi videntur: occaſiones, quibus in eas ſtultas opiniones veniunt, auferendæ ſunt, & ſolidæ virtutis dignitas eſt ante oculos ponenda, quo moderatius de ſe ſentiant et verè ſuperiorem in Rep. locum petere ſciant. Elatis hominibus iracundi fermè ſimiles ſunt: niſi quod illi ſuperiores ſe putant, hi contra deprimentem nimium inſurgunt, & dum acceptum damnum illato compenſare cupiunt, alterius officium, quem hiſce rebus iuſtitia deſtinauit, vendicare, & etiam æquitatis modum excedere volunt. Vehemens enim impetus facile cohiberi nequit intra mediocritatem: & ideo proſpiciendum eſt, vt vel non excitetur, vel ſtatim refrenetur, ante quam tantus ſit, vt vi ſua nos inuitos impellat. Non excitabitur autẽ, ſi vel quietis, vel contrarij motus cauſſas opponamus. Quo faciliùs verò his & alijs malis omnibus remedium inueniamus, diligentiam ſummã in rebus cognoſcendis & conficiendis adhibere debemus. Quòd ſi diligenter naturam rerum omnium perpenderemus,

Ira.

remus,

remus, nunquam ferè pro meliore deterius, nunquam pro bonis animi, bona corporis, aut externa, vel minus animi, corporis aut externum bonum, eligeremus pro maiore. Verùm quoties aliquid, quod bonum videtur, ſeſe obtulit, illud fermè, propter inquirendi negligentiã amplexamur, nec conſideramus, quid mali ſecum habeat adiunctum, quid officiat ijs rebus, quæ boni nomen verè merentur. Itaque potiùs corporis voluptates, & externas commoditates, nimirum nobis euidentiores, ſectamur, quæ quidem bonæ tantum haberi debent, quatenus virtutis ſunt adiumenta, & nunc eius impedimenta potiùs eſſe ſolent. Quoniam igitur circumſtantiæ rerum admodum multiplices ſunt, & veris omnibus falſa quædam adiuncta, tanta ſimilitudine, vt vix vlla ſit dijudicandi nota, quiſque magnum conſilium in rebus gerendis adhibere debet, ſi frequentius à recta virtutis via nolit aberrare: præſertim in ijs, quæ ſunt alicuius momenti, pro quibus eſt operæpretium conſultationis laborem ſubire. Dicimus autem conſultationem, inquiſitionem quandam ſedulam & maturam earum rationum, quibus aliquid mentione dignum faciendum aut omittendum videri poteſt. Quoties verò bene conſultamus & conſilium maturum diligenter ſequimur, nego-

tia conficimus ſecundùm veram virtutem. Sed cùm omnes omnia ſcire non deceat, eſt etiam ignoratio quædam iuſta, quæ nos à peccatis excuſat. Itaque Chriſtus ideo Iudæos peccaſſe dicit, quod ijs nōn defuerit occaſio veri cognoſcendi, & Apoſtolus aſſerit per legē, q̄ nobis cognitionē peccati dedit, malum in naturam humanā introductum. Quanq̃ ſcopus præcipuus legis nōn fuit, vt peccatum tantum cognoſceremus, ſed vt cognitum, quantum poſſemus, vitaremus, præmiaq; virtuti propoſita ſequeremur, & vt interim imbecillitatis noſtræ conſcij, ſemper ad opem diuinam confugeremus. Quemadmodum autem ignoratio legittima, ſic & actio nos excuſat, non eſt in noſtra poteſtate. Interdum tus animorum tam vehementes ſunt, vt liberæ poteſtati, nō quidem ſuam naturam, ſed euidentiam & imperium in propoſitam materiam tollant, & eam vel verum bonum cognoſcere, vel cognitum ſequi, non ſinant. Cùm enim ſpecies bonorum aut malorum, quamuis falſæ, vehementer fluctuant, totam ita ſæpe rationem mentemque perturbant, vt cogitationem pelagus occupent ſolæ, quas voluntas validis tempeſtatibus compulſa ſequatur. Quid enim facias, ſi tantus impetus procellarum eſt, vt gubernaculum, quo nauem ad portū ali-

quem dirigas è manibus expellatur: veluti ſi crudeliſsimus tyrannus tenerrimæ puellæ ſubitam mortem & etiam parentibus atq; amicis minetur, niſi quod poſtulat ab eâ, ſtatim fiat. ita quoſdam etiam propter iniuriam acceptã adeo ſuccendi videmus, vt tanquam inuicta vi quapiam ad vindictam rapiantur. Nec tantùm ab affectibus, ſed etiam à corporis conſtitutione liberã animorum poteſtatem, vt in hominibus qui mente carent, prorſus opprimi videmus. perpendendum tamen, an hoc noſtra culpa nõ fiat. Illi qui plane ſunt ebrij, cùm neſciant quid faciant, peccare non videntur: & tamen à Pittaco, ſapientiſs. viro, grauioribus, quam alij, ſupplicijs afficiebantur. Vbi autem per ignorantiam aut violentum motum aliquid eſt commiſſum, ijs cauſsis ſublatis pœnitentiam ſtatim introduci videmus, quæ morborum animi meritò præcipuum remediũ cenſetur: & ideo rectè, etiam Philoſophi eos incurabiles eſſe dicunt, qui pœnitentia ſceleris perpetrati non afficiuntur. Plato verò non tantum pœnitentiam, ſed etiam pœnam in peccati remedium eſſe neceſſariam dicit. & cùm nemo de ſe bonus iudex ſit, præſertim ſi contrarijs affectibus concitetur, quò planè liberemur, vltrò nos putat de nobis iudicium poſtulare debère. At cùm nos vel

Ariſt. 5. 3. eth. c. 1.

In Gorg

ignoratio vel violentia quæpiam excuſet, hinc intelligere licet, quàm grauiter illi peccent, qui citra vim vllam cognitum ſcelus committunt. Sed, antequam vlterius progrediamur, & reliquam omnem differentiam peccatorum tradamus, quoniam hîc tria fermè ſunt, nimirum intelligere, velle, & agere, quo bonum vel malū, quod eſt in ſola voluntati, melius cognoſcatur, quæri poteſt an omnia cognita bona liceat nobis velle, etiam ea quæ conſequi non poſſumus: vel potiùs, an ea vera bona ſint, quæ nobis conſequi non licet: nam quin omnia bona protinus expetere liceat, dubium eſſe nequit. Hîc verò diſtinguenda videntur ea, quæ Deus abſolutè voluit, ab ijs, quæ poſuit ſub aliqua conditione. ſi quis ſciat Deum aliquid omninò velle, veluti talem eſſe primam hanc naturæ conſtitutionem, qua mundi fabrica conſiſtit, & certis neceſsitatis legibus continetur, nefarius fuerit, ſi inſuperabili diuinæ voluntati reluctetur. in ijs verò quæ ſub conditione poſuit Deus, vt, ſi hoc factum fuerit, illud ſequatur, ſi peccauerint homines, ſupplicijs afficiantur, ſi legem obſeruauerint, præmia conſequantur, conditio quidem neceſsitatem inuiolabilem habet: ſed velle poſſumus illud antecedens: cuius conſequens nobis conducibilius eſſet. Iam quod

citra

citra peccatum malũ velle non poſſumus, quamuis illud conſequi nequeamus, ſatis eſt omnibus manifeſtum. Manifeſtum eſt etiam, quod quatenus voluntas aliunde excitatur, melior aut deterior meritò cenſeatur.

De Gradibus Virtutum & Vitiorum CAP. XV.

VERVM, quoniam ipſa ſola, quã nullum effectum ſequi poteſt, quanquam ſuam laudem & vituperium habet, & ſuperioris iudicis ſententiam euaſura non ſit, adeo nõ ſpectatur à ciuili legiſlatore, cõſideremus, in ijs, in quibus non tantùm deſiderij, ſed operis quoque liberam poteſtatem habemus, quomodo virtutes & vitia maiora fiant. Conſtat autem quod inter abſolutam neceſsitatem, & plenam volendi, agendiq; libertatem, quarum neutra diſcrimen vllũ admittit, multa media ſint, in quibus magnæ virtutum & vitiorum differentiæ ſunt collocatæ. Hic conſiderandus eſt imprimis liberæ poteſtatis motus, quomodo iuuetur aut impediatur alijs motibus, quibus tamen ſuperior eſſe poſsit. in eo nempe facilitas & difficultas negotij tranſigendi cõtinetur: vnde cognoſcitur libertatis magnitudo,

tudo, qua virtutes & vitia, præmia ſuppliciaque menſurari volunt. nam quantò liberi motus fuerint maiores ad bonum, tantò virtutes magis ſunt inſignes: quantò verò vehementius ad malū pergūt, tantò vitia ſunt maiora. Quo igitur virtutū & vitiorū gradus inueniamus, primos liberæ poteſtatis motus omnes ex adiumentis & impedimentis inquiremus. adiumenta namq; partem operis, adeoque gloriæ vel dedecoris, ſibi vendicant: impedimenta non tantum omnem actionem efficienti relinquūt, ſed quantam poſſunt operis partem auferunt: vnde fit, vt tametſi maius opus non ſit, operatio tamen ſit maior: quæ quidem virtus & vitium eſt potius, quàm effectum opus. Virtutem autem hic & alibi ſæpe intelligo, quæ in actione conſiſtit: quamuis eius propriam naturā in firmitudine quadam collocatam eſſe ſcio. Sic igitur quæ iuuant & impediunt cum efficiente coniungenda ſunt, atque ita de virtutibus & vitijs iudicandum: & hoc quidem non tantum in reliquis, ſed etiam in ijs motibus, qui primùm ad veritatem tendunt, locum ſuum habet: quoniam etiam ad hanc comprehendendam inſtrumentis quibuſdam eſt opus, quæ in diuerſis hominib. ſunt diuerſa. Itaque tametſi voluntates hominū pares ſint, non propterea par eſt cognitionis menſura.

ra. nam alij tanquam nati ſunt ad rerum inquiſitionem & cognitioné: alij naturâ torpidum & hebes ingenium habent: & quoſdam ad has artes, & alios ad alias aptos eſſe videmus. Hæc autem differentia, quanquã etiam ſuos dignitatis gradus hominibus affert, natura potiùs, quàm voluntati, debetur: ſed quod alij diligentiores alij negligentiores ſint, id totum eſt in libera poteſtate ſitum. Diligentiæ verò pondus ex effecti, adiumentorum & impedimentorum magnitudine cognoſcemus. Itaque conſiderandum eſt, non tantũ quale ſit id quod fecimus, quantum in rebus vel priuatis vel publicis poſsit, ſed etiam quibus præſidijs ad illud tranſigendum fuerimus vſi. Hæc proueniũt partim à rebus internis, partim autem ab externis. Interna ſunt corporis inſtrumenta, quæ natura nobis ad res gerendas dedit: & hæc etiam conſuetudine meliora deterioraúe fiunt, quemadmodum poſtea dicemus. Externa ſunt rerum ſpecies, quæ in animos noſtros incidunt, & eorum motus impediunt, aut impellunt. Hæc igitur conſideranda qualia ſint, & quàm magnas habeant vires. Cùm autem conceptæ ſpecies incitent animos noſtros ad aliquid agendum, & hæ inter ſe diuerſiſsimæ ſint, aliæq; maioris ponderis, aliæ verò minoris, & interdum ſingulæ ſeparatim incidant,

Diligentia tota eſt in nobis ſita.

Adiumenta virtutum & vitiorũ.

dant,

dant, interdum iunctim plures aut pauciores,& cùm ſæpe, propter varium circumſtantiarum concurſum, illa quæ inferior eſt, ſuperior videatur, & propter aptitudinem noſtram, etiam vna quàm alia nos magis impellat, hinc eſt maximum virtutum & vitiorum diſcrimen. Ita videmus quoſdã minoribus viribus, alios maioribus tantũ, & hos potiùs ab his, illos ab illis incitari.

Non mouẽt nos, quæ ad nos non pertinẽt

Conſtat autem, quòd ea quorum noſtra nihil prorſus intereſt, nos commouere non debent, ſed quæ nos, aut noſtros, vel iuuare, vel lædere poſſunt. Cùm igitur animus varias rerum ſuorum analogias concipiat, natura ſemper in vtiliſsimam & optimam aliquam inclinat. Motus aũt ex primo boni ſenſu, qui fit in inferiore animi parte, Appetentia vocatur, & Voluntas, ſi cum ea ſuperior illa libera poteſtas coniungatur.

Appetẽtia volũtas.

Sed fermè fit, vt non rectè naturam rerum inueſtigemus, de quo peccato iam eſt à nobis antea dictum. Fit etiam vt deterior ſpecies in nobis maiorem vim obtineat, vel propter naturam noſtram, vel propter viuendi conſuetudinem: quod quomodo fiat à nobis nunc breuiter eſt dicendum. Ad actiones igitur obeũdas inſtrumenta corporea diuerſiſque hominibus diuerſa rerũ natura dedit, quæ ſuam vim cum artificis operationibus, ad aliquid conficiendum com-

Inſtrumenta corporis virtutes & vitia maiora minorave reddunt.

commiſcet: artificem autem nunc ipſam voluntatem appello. At vnuſquiſque in ijs rebus, ad quas inſtrumēta paratiſsima poſſidet, libentiſsimè verſatur. ita bilioſi rebus bellicis, melancholici potiùs triſtibus occupantur. Hinc eſt, quòd illa ſpecies animo concepta magis placeat, quam nobiſcum natura magis coniunxit, & vt in eam rem, cuius illa ſpecies eſt, animus noſter maximè vergat. Hoc autem in bonis virtutem, in malis vitium minuit, quemadmodum etiam antea dicebamus Sed cùm natura noſtra iam multis modis deprauata ſit, oportet vt inſtrumenta, quibus commodius egregium aliquod opus fiat, continenter vſu meliora reddamus: quod qui diligentiùs fecerit, eatenus maiorem laudem, qui verò fecerit negligentiùs aut etiam illa deteriora reddiderit, maius opprobrium & ſupplicium meretur. Vſu enim natura noſtra nouā quandam naturam acquirit, qua ſit accommodatior ad has aut illas actiones. Vnde fit etiam, vt ſimiles ſpecies, quas vſus nobis familiares fecit, promptè nos ad agendum impellant, præſertim ſi prima natura conſentiat cum ea, quæ conſuetudine fuit comparata. Ita videmus eos qui natura molles ſunt, & luxui diutiùs vehementiusque deditī fuerunt, eius ſpecie facillimè commoueri, & qui naturâ fortes ſunt, atque in militia

Conſuetudo quid poſſit.

litia diu ac ſtrenuè verſati, bellicis negotijs maximè delectari, & ea quoque facillimè proſequi. idem etiam in reliquis omnibus actionibus vſu venit. Quatuor autem in vniuerſum fermè ſunt, quæ veniunt in hanc conſiderationem: ſpecies ſcilicet boni maliúe, natura noſtra, conſuetudo, & vis liberæ poteſtatis. Quærimus enim hîc motum liberæ poteſtatis, qui iuuatur aut impeditur, vel ab ipſa conſtitutione humana, vel à rebus externis: conſtitutio vel eſt innata, vel aſcita: res externæ ſunt nobis vndique circumfuſæ, vt interim vim diuinam omittamus. Species qua commouemur vel inſignis eſt in ſuo genere, vel non adeo magni momenti, & aut leuiter tantùm imprimitur, aut violento quodã motu: quod quantùm ad virtutis & vitij valeat incrementũ, iam ſatis eſt manifeſtum. Secundo loco natura cuiuſq; conſideranda venit: quatenus apta eſt, vt hoc aut illo motu feratur, & externorum impetum iuuat aut remoratur. Nam ſi vterq; tam externorum, quam naturæ motus, aut virtutem aut vitium eſt, & animus conſentiat, minorem laudem aut ignominiam meretur: ſi verò diſſentiat & reluctetur, tantò meretur laudem & ignominiam maiorem. at, ſi corporis natura cũ motibus externis non conueniat, quatenus boni vel mali inſtrumentum eſt, animique liberam

Quatuor ſunt quæ virtutem et vitium augent & minuunt.

liberam vim ipſa iuuat aut impedit, eatenus virtutum & vitium minuit vel auget: nam difficiliora ſemper ſunt hîc maiora. Idem etiam de natura per conſuetudinem acquiſita dicendum: niſi quòd hæc fere prius in noſtra poteſtate fuit. Sed multa in naturam noſtram incidunt, quæ vitari nequeunt, & per conſuetudinem eam non mediocriter immutant. Nam propter aërem circumfluum, qui diuerſis temporib. & locis eſt diuerſus, nos vehementer affici ſentimus: idem de alimentis & alijs, quæ nos attingunt, eſt dicendum: idem etiam de hominibus, cum quibus indies verſamur. Cùm enim actiones & affectiones rerum propinquarum continuæ ſint, hinc variæ rerum & hominum proueniunt mutationes. Attamen hæc aliqua ratione ferè gubernari poſſunt: ſi nimirum ea quæ nos mutant in meliùs ſimilibus iuuentur, quæ in deteriùs, contrarijs leniantur, aut prorſus impediantur. Hoc autem quomodo fiat, potiùs ad naturalem pertinet ſpeculationem, ſine qua fruſtra vel in his, vel in alijs vllis negotijs verſemnr. Nam (vt eſt apud Platonem) vnius alicuius natura ſine vniuerſo bene cognoſci nequit, & ſubſtantię, quemadmodum inquiunt Phyloſophi, principia ſunt actionum omnium, earum etiā quas nunc explicamus. Hinc eſt quod

Conſuetudo naturalis.

In Protā. Actiones ſuapte natura non conſiſtunt, ſed à rebus ipſis nos profluūt

nos ſubinde Phyſicorum Phyloſophorũ limites attingere non vereamur, eos præſertim, intra quos animæ natura continetur, quæ maximum eſt principium eorum omnium, quæ nunc tractamus: verùm hæc fortaſsis alibi latiùs exponemus. Quoniam igitur, ſi in noſtra poteſtate ſunt aliqua, ita demum culpam & meritum admittunt, cũ quis hoc aut illo modo à rebus externis affectus eſt, quatenus in eo noſtra poteſtas nullum habuit imperium, eius conditionis eſt cum eo, quod nobis dedit ab initio natura, & ſimiliter auget & diminuit dignitatem aut indignitatem noſtræ voluntatis: voluntatis inquam noſtræ: nam operationes reliquæ, & effecta etiam, ab ipſa natura ſuam laudem aut vituperium habent, quẽadmodum antea dicebamus, & propterea celebramus eos, qui citra magnum conatũ & vim liberæ poteſtatis, quòd ad eas nati videantur, res magnas geſſerunt. Sed quæ motum voluntatis prouehunt, aut impediunt, eam maiorem adeoque meliorem oſtendunt, aut etiam deteriorem. Ex effectis enim cauſſas cognoſcimus, & ſcimus eas eſſe præſtantiores aut deteriores, quæ cum multis & magnis impedimentis egregium quippiam, cumque varijs adiumentis, nihil mentione dignum ediderunt. Si in ea quæ nos afficiunt omnem poteſtatem haberemus,

Naturæ dona dignitatẽ noſtrã augent, ſed hic agitur de dignitate voluntariàrum actioũ.

mus, nobis penitus acceptum ferendum eſ-ſet, quòd vel bene vteremur ea, vel abute-remur: nunc autem cùm natura noſtra tam vehementer corrupta ſit, et inſtrumenta re-rum gerendarum, vel deſint nobis, vel talia non ſint, qualia deſideramus, quò virtutũ dignitatem cognoſcamus, hic adiumenta ſunt & impedimenta, diligenter animad-uertenda. Si enim affectiones primæ rerum externarum, quæ tandem per conſuetudi-nem in habitum conuertentur, magnę ſint, & primam naturam habeant obſequentē, animus minimè laborat, qui motibus ſimi-libus feratur, & maximè quidem laborat, ſi motibus illis reluctetur: quod ſi fiat ad ma lum, ſummi ſceleris eſt, ſi verò ad bonum, ingentis cuiuſdam virtutis. Cùm autem ha bitus nobis iam inſiti ſint, rurſus iuuant aut impediunt actiones, & hinc iterum ſu-mitur virtutum & vitiorum diſcrimen. Si duo nimirum idem ſcelus commiſerint, in eo minùs delinquit, qui á tenera ætate in vitijs eſt aſsiduò verſatus, quam is, qui reli-gionem & pietatem ſemper eſt profeſſus: ſiquidem illud crimen ſolum æſtimemus: nam ſingula quæ præceſſerunt ſuum quo-que pondus habent. Qui verò puram cu-iuſque vim cognouerit, compoſita, ſi rectè conſiderauerit, non poterit ignorare. Rur-ſus ſi reliqua paria ſint, maior eſt virtus

eius, qui ſceleratè vitam hactenus trāſegit, quàm eius qui ſemper ad virtutem fuit inſtitutus. quanquam autem res externæ, corporis, animique noſtri conſtitutio varijs & violentis modis in hanc aut in illam partem trahat, diligentiam ſaltem adhibere poſſumus, & in eius omiſsione peccatum protinus fuerit commiſſum: cuius vis ſi planè nobis adimatur, omnino ſerui erimus, nec habebimus in actiones noſtras vllam poteſtatem. At nunc, quum planè ſerui non ſimus, omnem diligentiæ vim, quam habemus, ad virtutem contra vitia exercere debemus: quod ſi fecerimus, magnam certè virtutis laudem tandem conſequemur. Quocunq; te trahat aut impellat affectus, aſſueſcas habere ſemper rationem præſentem, & quod optimum eſſe cognoueris, maximè ſequaris. Proponitur mors tibi, vel vxori vel liberis, niſi illud facias: vide quid honeſtiùs ſit, quid Reip. magis conducat. Inter ſe diligenter conferas omnia, quodque præſtantiſsimum videris, tibi faciendum eſſe putes. Habes multorum exempla, non modò noſtræ religionis, quæ quidem innumera ſunt, ſed aliorum, nec virorum tantùm, ſed etiam puellarum, quæ calamitatem quamuis & mortem acerbiſſimam pro virtute facilè contempſerunt. quamuis minùs mirum eſt, cùm amores,

Diligentia quid poſsit.

alijque

aliịque animorum motus, multarum vitam finierint, quod propter virtutem, qua nihil pulcrius eſſe poteſt, mortem non recuſarint. Sed demus nos, quoniam homines ſumus, ab humanis motibus plane liberos eſſe non poſſe: nam ſapientiſsimos & fortiſsimos viros, vel ab ira, vel amore, vel ab aliịs affectibus legimus interdum eſſe deuictos, & Apoſtolus conqueritur à ſe fieri nonnunquam malum, quod tamen ipſe facere non velit: attamen, ſi vera ſunt ea quæ priùs diximus, motus illos animorum noſtrorum, quantumuis magnos, diligentia quodammodo poſſumus moderari: præſertim cùm, ſi modo velimus, diuinum auxilium nobis defuturum non ſit, quo nos facilè contra quæuis pericula calamitateſque defendamus. ita Deus ſuam beneuolentiam Paulo ſufficere dicit, qua quidem etiam in maximis affectuum inſultibus tutus eſſe poſsit.

Quòd Gratiâ Dei voluntas mouetur.
CAP. XVI.

ERGO præter externarum rerum motus, naturam propriam, nos ad hoc aut illud impellentē, præter affectionem à rebus externis & ipſis animorum noſtrorum moti-

bus in nobis relictam, habemus & aliam diuinæ beneuolentiæ cauſſam, qua voluntas promoueatur aut impediatur. ea verò tota eſt in libera Dei poteſtate collocata, qua nos liberaliter ſuæ bonitatis participes facit. Præter naturā enim diuinam immenſam & voluntatem eius liberam, qua condidit hanc rerum omnium vniuerſitatem, certisque naturæ legibus deuinxit, incomprahenſam adhuc liberam poteſtatem intelligere debemus, quemadmodum etiam antea dicebamus, quam partim ſacris literis expreſsit, partim alijs ſignis oſtendit, partim ſibi ſeruauit: in qua ſunt inſcrutabiles gratiæ diuinæ theſauri, qui nullo iure, ſed ſola Dei liberalitate nobis debentur. promiſit quidem is, qui fallere nequit, atq; adeo ſe tanquam debitorem fecit, actionesq; noſtras, quæ alioqui nullius momenti ſunt, eo honore afficere voluit: ſed hoc etiam totum illius liberalitati debetur, quę certè noſtris factis ad compenſationem cogi non cupit: cùm ipſa planè libera ſit, & ſine ea noſtra facta nullius ferè ſunt æſtimationis. Hæc omnia ſi diligenter ſubduxerimus, quid reliquum in virtutibus & vitijs voluntas habeat, cognoſcemus: in quo diligentiam numeramus, quam Deus à nobis ad virtutem omnino requirit: cumque ſit omnibus eadem inſita vis à natura, non o-

Gratia Dei liberum opus eſt.

peris

peris quidem, ſed volũtatis, ſi quid per negligentiam omiſſum ſit, in eo parem repræhenſionem omnes fermè merentur. Quòd ſi qui talem habent corporis temperaturam, vt minùs alacriter, nõ tantùm aliquid faciant, ſed etiam velint, quàm qui habent diuerſam: fieri tamen poteſt, vt diligentiæ par ſit menſura. Efficiens enim oportet nõ tantùm effectis, ſed, quemadmodum paulò antea dicebamus, etiam adiumentis & impedimentis æſtimari, quò cognoſcamus, quanta propria fuerit illius energia, qua præmiorum & ſuppliciorum pondus vult æſtimari. Efficiens iterum liberam poteſtatem appello, effectum appellõ primum eius motum, nimirum voluntatem humanam, quam alia quæpiam actio ſequi ſolet, veluti dicendi, veluti ſecundum æquitatem aliquid diſtribuendi. Occaſiones verò ſæpe vitari, & inſtrumenta rerum gerendarum accommodari ſedulò poſſunt: in eoque, quemadmodum iam ſæpiſsime diximus, vis liberæ poteſtatis, adeoque virtus & vitium elucеſcit. Si quis cauſsis affectuum contrarias & maiores cauſſas opponat, eorum impetum confeſtim franget. Cauſſæ verò præcipuè affectuum ſunt apparentes ſpecies boni alicuius vel mali, præſentis aut futuri: vt interim naturam noſtram primæuam & aſcitam pretermittamus. Quoniam

verò fermè ſpecies falſi boni nos externo fuco decipere ſolet, ideo ſumma diligentia fuerit imprimis diſcernenda. Opus eſt igitur, vt vnam ſpeciem cum alia ſedulò conferamus, & illam quam ratio meliorem iudicarit, apprehendamus, nec ab ea nos diuelli ſinamus. Ita videmus multos pro virtute varias calamitates perpeſſos & diuerſiſsimis atque grauiſsimis motibus concuſſos, qui tamen ab eius pulcritudine non potuerunt ſeparari. Eā ſuis animis habebant tam euidenter tamq; firmiter impreſſam, vt nullis modis potuerint deleri vel offuſcari. ita qui pro Chriſto mortui ſunt, eius ſpecie ſunt adeò commoti, vt fermè nihil aliud ſentirent. Oportet ſane, vt id quod in animis noſtris euidentius eſt, reliqua obſcuret: oportet, vt id quod efficacius phantaſiam occupat, reliquorum imperium excludat. Prouidendum eſt igitur, vt ſemper præſtantior aliqua ſpecies luculenter ante mentis oculos obuerſetur: quod diligenti veritatis inquiſitione & aſſuefactione fiet. Quòd ſi verò falſa quædam imago noſtrū animum prius occupet, tum quòd eius motus validi repentinique ſint, tum quòd illi natura vitaq; tranſacta ſit adiumento, non facile cedit, niſi, vt diximus, gratia Dei, qua nihil potentius eſt, nobis ſit præſto. Poteſt tamen libera vis interim omnem lapidem

voluere,

voluere, turpitudinem illius detegere, meliorumque multorum imaginem inſerere: quod ſi faciat aſsiduò, illa falſa ſpecies diſſipabitur,& tandem præſtantiori locum ſuum dabit. In eo verò eſt proculdubio maxima quædam exercitatio virtutis. Sed tutiſsimum omnium refugium eſt miſericordiæ Dei, cuius præſidio freti,facilè quaſuis ſuperamus difficultates. Nec tamen ipſa virtutem minuit, quamuis vnicum ſit rerũ bene gerendarum adiumentum: quoniam in Deo tantùm ſpem omnem collocare, ſummus quidam eſt virtutis gradus, à quo facilis eſt ad reliquos omnes deſcenſus. Vt autem hanc rem ſemel concludamus, ſuprema vis animorum noſtrorum, vbi ſui compos eſt,circa bonum et malum virtutes & vitia parit. Eſt autem ſui compos,cũ vtriuſque partis imperium habet. Habet vtriuſque partis imperium,vbi altera tanta non eſt,vt eam nequeat vllis ſuis adiumentis dimouere. Semper autem velle & potentiores auxilium implorare poteſt: niſi planè ſit deuincta. ſed cùm planè deuincta nõ eſt, & vtriuſque partis aliquam poteſtatem habet, quomodo precium ſuum eius actiones acquirant aut amittant,iam fermè ſatis eſt explicatum. Nam ſi hæc omnia,quæ conuenire ſolent ad operationes humanas, tanquam bilance examinauerimus, facilè

Præcipuum adiumentum gratia Dei.

Gratia Dei virtutẽ non minuit.

cognoſcemus, quid vnumquodque ponderis ad opera virtutis & vitij tenet, vnde diuerſos vtriuſque gradus facile dephrædendemus.

Circumſtantiæ, quomodo mutent actiones. CAP. XVII.

CVM virtus & vitium ſit in liberæ poteſtatis motu, quemadmodũ ſæpe diximus, ea virtus, inquam, quæ in actione conſiſtit, quantò vehementior hîc fuerit, & illa quoque tantò fuerint maiora. Vehementiam autem effecti difficultas demonſtrát, quam circumſtantiarum omnium magnitudo menſurat: circumſtantiarum, inquam, quę cum rebus externis, natura conſuetudineq; vitæ ſe coniungunt. Multum erat quod Vlyſſes Circes amores contempſit, maius quod cum amoribus immortalitatem, quam Calipſo pollicebatur: & idipſum adhuc maius eſſet, niſi tam ſapiens Vlyſſes fuiſſet. Ita tametſi Mutium Scæuolam laudamus, quod in caſtra Porſenæ penetrarit, Iudith tamen præferimus, quòd Olofernem iugularit. in Paride vituperamus, quòd amores ſuos patriæ ſaluti prætulerit, & magis, quòd inconſpectam Helenam quæſierit, quàm quòd eam detinuerit: atque hæc vitia tamen in

Hectore

Hectore multò maiora fuiſſent,& etiam in Paride,niſi Veneris fuiſſet auctoritatem ſecutus. Omnes circumſtantiæ diligenter perpendendæ ſunt, omnia conſideranda ſunt,quæ cum efficiente,cum effecto,cum vtroque ſunt coniuncta. Cùm hominibus bene natis & inſtitutis,virtutes quidem maximè,minimè verò vitia conueniunt.robur corporis, ſanitas, & aduerſa valetudo, vel iuuant, vel impediunt multas actiones. ſic etiam hoc aut illud vitium, quanquam nemini conuenit, eſt ab his aut illis hominibus magis alienum : luxuria in ſene magis vitio vertitur & femina, puſillanimitas autem in Duce. Ita peccatum grauiùs cenſendum eſt, quod ab eo commiſſum, quem præſtantiorem eſſe decebat, vt ab eo, qui publicam aliquam auctoritatem tenet. Itaque pro delictis Principum etiam Reſp. vniuerſas puniri, omnes tam diuinæ quàm humanæ literæ,nec non experimenta multa teſtantur. Quantò nimirum officium cuiuſque præſtantius eſt, tantò per vitium longiùs ab eo recedit. Externa quoq; præſidia multum conferre ſolent: ita paupertas & diuitiæ,nos ad aliquid faciendum,aut perferendum ſæpius vrgere poſſunt. Is etiam ad quem tendit animæ motus,cum meliorem aut deteriorem reddit: vt ſi Deus ipſe ſit,ſi Princeps,parentes,viri probi,pau-

Perſonæ peccatū augent.

peres,

peres, aut alterius alicuius cõditionis. Dubium enim non eſt, quin eiuſmodi ſpecies perſonarum animo conceptæ, nos in hanc aut in illam partem alliciant, & virtutes vitiaque faciant maiora. Modus agendi quoque peccatum augere vel diminuere ſolet: vt ſi hoc aut alio quis libidinem explerit: ſi non tantum hominem interfecerit, ſed etiam in viuum aut in mortuum aliquam exercuerit crudelitatem, vt in Ciceronem Antonius, in Hectorem Achilles. Is enim modus, qui plus operæ continet, maiorem oſtendit ſceleris cupiditatem. Locus etiam & tempus ſuam quandam vim noſtris actionibus præbent, & reliqua quæ cum ijs ſunt coniuncta: vt ſi ſacra res abrepta ſit, eoque tempore & loco, quo minimè decebat, & vel clam vel in aliorum conſpectu, et eorum quidem, quos omnes maximè vereri debebant. Cùm enim cum circumſtantijs mutentur, earum ſpecies animo concepta, non mediocres ad virtutum & vitiorũ augmentum vires habet. Nec tantùm id quod animo conceptũ eſt, ſed etiam quod concipi debuiſſet, eſt perpendendum.

Modus agendi peccatũ auget.

Locus et tempus peccatũ augent.

Verùm hæc exempli loco dixiſſe, ſit hactenus ſatis.

Quo-

Quomodo Virtutes ſunt in habitu. CAP. XVIII.

CVM autem virtutes non tantùm in actione, ſed etiam in habitu ſint, quemadmodum Philoſophi dicunt, eum nunc paucis conſideremus, priuſquam ad genera virtutum accedamus: &, vt rem omnem meliùs intelligamus, rurſus eam ex intima Philoſophia repetemus. Animus igitur noſter, cùm ſuapte natura libera quædam ſui ipſius energia ſit, vti priùs oſtendimus, opere continuo tanquam nouam ipſe ſibi comparat naturam: propterea quòd actio, qua vult quippiam, intus eſt, & habet, quemadmodum reliqua cuncta, naturæ ſuæ conſentaneam afficiendi poteſtatem, tantoque maiorem, quantò vehementior fuerit atque diuturnior. Inde concipiuntur ex multis actibus habitus virtutum & vitiorum, hoc eſt qualitates quædam animorum, quibus ipſi fiunt ad operationes, huic aſcitæ ſuæ naturæ ſimiles, longè paratiores. Ita qui circa veritatem diu multumque verſatus eſt, eius ſpecie mentem imbuit, atque ad energias veri cognoſcendi multò promptiorem eam reddit. Hoc etiam de iuſtitia reliquiſq; virtutibus intelligi debet, propter

quas

quas aliquid certè faciliùs aut difficiliùs fieri ſolet: faciliùs, cùm aſcita qualitas cum voluntate conſentit: vt ſi, qui patriam defendere cupit, in bello ſemper fuerit verſatus: difficiliùs, cùm contraria qualitas animum obſedit: vt ſi, qui à voluptate quadā continere ſe cupit, per totam vitam in omni libidinum genere ſit exercitatus. Tametſi verò voluntas propter habitus iſtos virtutum & vitiorum ſemper magis in hanc, quam in illam partem inclinet, non propterea liberum eius opus non eſt: nam ferè ſemper aliquid aduerſus habitus iſtos poteſt, ſiquidem actiones eius præmio dignæ ſunt vel pœna: & primus ſaltē eius motus, priuſquam habitum aliquem concepiſſet, ſi modo corporis conſtitutionem, ad hoc aut illud nos excitantem, & reliquas occaſiones excipiamus, omnino liber fuit: cuius continuatio vel iteratio initij ſui liberi cōditionem imitatur. Ex libertate namque facta voluntas, cùm hæc liberæ naturæ primus actus ſit, quomodo libera non dicatur? quæ ſi perſeueret eadem, proculdubiò libera quoque meritò appellabitur: quanquam primam interim liberam illam animorum naturam continuo tanquam afficiat, & eam ſibi conſentaneam, hoc eſt minùs liberam reddat. Vt autem hæc omnia meliùs intelligamus, in animis noſtris duo

Habit', quamuis actiones minus liberas faciant, tamen ex liberis actionib. ſunt nati

quædam

quædam conſiderare debemus, propriam ſcilicet conſtitutionem, qua, licet ſecundũ voluntatem nihil agant, ſunt verè tamen in hac rerum natura, corpusque ſuum comprædhendunt atque gubernant: & inſuper agendi liberam facultatem, quæ circa boni maliúe, tanquam propriam materiam oblatam verſatur. Actiones autem reliquas in nobis antecedit cognitio, quemadmodum priùs eſt demonſtratum, quæ tandem aſsiduitate veri falſique habitum in nobis parit, quo ſumus, propter characteres animis noſtris inſculptos, ſemper ad eiuſdem veritatis notitiam parati. cognitionem autem boni maliúe ſtatim in nobis velle nolleúe ſequi ſolet: cuius etiam aſsiduitas habitum gignit, quo promptè velimus aut nolimus, vbi propoſitum fuerit ſimile bonum vel malum: hoc, ſi ſecundum leges naturæ gratiæq; diuinæ fiat, virtus, alioqui vitium appellatur. voluntatem ſequitur motus earum partium corporis, quæ cum ea per appetentiam ſunt coniunctæ, nec non earum rerum, quæ exterius nos attingunt: vt dum aliquid trahimus, impellimus & conuertimus in gyrum. Actus autem omnes iſtos animorum natura liberaque vis antecedit: illa, quatenus animi ſunt in hac rerum vniuerſitate, hæc, quaten⁹ in ſe, & in alia, quippiam agendi poteſtatem habent: quæ quidem

In animis natura, & libertas, conſideranda.

Animorum natura à libertate quomodo diuerſa.

Libertas mutatur ab habitu non ipſa animorum natura.

dem agendi poteſtas ab actibus ſuis continuò, non autem vnquam animorum propria & incorrupta natura, mutatur. Videmus autem in alijs omnibus quoque prouenire ſimiles à rebus externis affectiones: vt cum aqua, naturâ frigida molliſque atq; fluxibilis, caleſcit ab igne, frigoreq; in glaciem concreſcit. quòd ſi liberam eius refrigerandi humectandique & emolliendi poteſtatem eſſe cogitemus, eam ab igneo calore, congelationiſq; duritie impediri, nec tamen propriam eius naturam ſtatim corrumpi, facile intelligemus. Id verò quod hic in nobis afficitur, quemadmodum iam diximus, eſt libera quædam animæ natura, qua tum aliquid agere, tum etiam non agere poteſt. at cum nihil, aut quippiam aliud, agere vult, affectiones quas aliunde concepit, eius actioni, quæ nulla vel alterius generis eſt, eſſe non poſſunt impedimento. ita qui plurimis vitijs imbuti ſunt, ab ijs, dum quieſcunt, vt dum dormiunt, aut dum in alijs negotijs occupantur, impediri rectè non dicentur. ſunt enim hæc, de quibus nunc agimus, habitus & affectiones liberæ naturæ, quatenus circa res eaſdem verſatur. Quemadmodum autem aquæ calor externus naturalem eius impedit refrigerandi vim, non autem humectandi: ſic iniuſtitia voluntatem diſtribuendi ſecundum digni-

Animus quomodo per habitus mutetur

Habitus quas acti ones impediant.

dignitatem, & temperantia voluptatum immoderatam conſectationem impedit, non vim intelligendi, loquendi, aut alia multa, quæ ſunt diuerſi generis, agendi. Quoniam tamen res rebus cognatæ ſunt, ferè fit, vt per multa media vicina, quàm latiſsimè vim ſuam extendant. ſic incontinentia, primò voluptatum amore, non modò temperantiæ vim emollit, ſed & fortitudinis robur eneruat, laboriſque fuga nos ad prudentiæ laudem aliquam peruenire non ſinit: & falſi boni priuati deſiderio iuſtitiam ipſam corrumpit. ſed nos hîc propriam ſingulorum vim conſideramus. Habitus igitur ſunt affectiones liberæ naturæ, quatenus in iiſdem aut ſimilibus negotijs ipſa verſetur: cum interim in alijs, ad quas affectiones iſtæ non pertinent, obtineat primæuam ſuam liberam naturam. Cùm autem dicimus affectionibus iſtis contrarias operationes impediri, intelligimus etiam multo magis ab ijs ſimiles promoueri. Itaque prudentia propriam cognitionem rerum gerendarum affert, & fortitudo facit, vt quæuis pericula facilè contemnamus. affectiones iſtæ cum vſu proueniant, eas continuatio & iteratio, nec non impetus etiam & violentia, qua imprimuntur, maiores facit: quia tantùm ferè validus motus breui, quantùm remiſſus longo tempore

Habit⁹, ſimiles actiones promouent.

 poteſt.

poteſt. Cùm quis itaq; diutiùs & frequentiùs in aliqua virtute, vel in aliquo vitio, verſatus eſt, ſi validè conceperit eius qualitatem, vel quoniam id quòd afficit violentum, vel id quod afficitur eſt ad affectionē admodum paratum, hoc in vtramuis partem ſuum pondus affert. Ita melancholici, ſpecies quaſdam tam pertinaciter concipiunt, vt circa eas ferè perpetuò verſari cogantur, à quibus in alijs omnibus actionibus impediuntur: quòd inſtrumentum corporis ad eas conſeruandas & iterandas ſit valde paratum. Verùm hoc ferè naturæ, non voluntati, debetur. In plerisque verò, veluti iam dicebamus, tantùm impeditur animorum motus, cùm in ijſdem, & non cū in alijs diuerſis negotijs verſatur. Quoniam igitur vſus in corporis inſtrumentum & in liberam naturam plurimùm poſsit, is ſemper ad virtutem contra vitium inſtitui debet: ſic enim in animis noſtris & affectiones bonæ prouenient, & extirpabuntur malæ. Continuò pulcritudinem virtutum, vitiorumque turpitudinem, diligentiſsimè perpendamus, & animaduertamus, quàm rationi naturæque conſentaneum ſit, cuiq; tribuere quod illi debetur, quàm contra rerum ordinem ſit, benemeritis pœnam, malemeritis præmium reddere, quàm inſignis res ſit, pro patriæ ſalute quæuis vitæ diſcrimi-

diſcrimina ſubire, quamque ſit ignaui animi, pro leui periculo, deſerere communem ſalutem: reliquaque cuncta ſecundum veritatem aſsiduò mente concipiamus, & illa velle atque facere diligenter aſſueſcamus: ita non tantùm veritatem rerum animis noſtris continebimus, ſed actiones noſtras omnes, quæ non ſunt adhuc in rerum natura, conſentaneas illi, rationi atque virtuti reddemus, & aſsiduitate longa qualitatib. virtutum nos imbuemus, quibus ad actiones laudabiles paratiſsimi ſimus. Is enim qui naturam fecit, tales illi leges dedit, vt melioribus aut deterioribus actibus omnia meliora deterioraque, & ad bonas vel malas operationes promptiora reddantur, & vt beneuolentiæ diuinæ lux, in animos noſtros affluens, ijs etiam foueatur aut extinguatur: nam bonum ſemper cum bono, diuinum cum humano, nô autem vnquam cum malo conſentit. Actus autem iſti vel circa veritatem vel circa bonitatem verſantur, vt ſæpe diximus, in quibus omnib. nos profectò ſummam diligentiam adhibere decet: quæ quanquam & propter naturæ primæ differentias, & propter naturam conſuetudine comparatam, in omnibus hominibus par non ſit, tamen in omnibus vltima poteſtas quædam eſt & ſumma, quamuis in vnis quàm in alijs ſit pon-

deris maioris vel minoris: qua nos ad res bonas proſequendas, malasque vitandas vti debemus: & in eo ſummam cuiuſq; diligentiam conſtituimus. Incredibile verò dictu, quam pulcer ſit eorum animus, qui innumeras puriſsimæ veritatis ſpecies ambitu ſuo continet: omnem hanc totius naturæ varietatem, gratijs omnibus affluentem, tam diuerſos hominum mores, orbium cœleſtium admirabiles illos circuitus, vt incorpoream interim naturam omittã, immenſa ſapientia bonitateque vndiq; plenam. Si quis aũt & hæc omnia mente comprehendit, & habitu virtutum ſemper ſit paratus ad actiones ſuas omnes ſecundum ipſam rationem componendas, ſingulari Dei Opt. Max. fauore ſemper fretus, eo certè nihil præſtantiùs hîc excogitari poteſt: et contra, nihil turpius, nihil eo pernicioſius, qui non tãtùm iſtis omnib. ornamentis ſuis deſtitutus, ſed etiam propria fœdiſsimorum vitiorum labe fuerit penitus contaminatus. Cùm ergo noſter animus liberam poteſtatem habeat, ad omnem actionem naturæ ſuę limitibus circumſcriptam, oportet vt, ſicuti mens, ab initio tanquam tabula quædam, in qua nihil eſt depictum, per ſenſus varijs formis veritatis exornatur, quæ diſcuſsis tenebris, mentis aſsiduo motu in clariſsimam cognitionis lucem

Habitus veritatis & bonitatis.

tandem

tandem facile, cùm libitum nobis fuerit, exponantur, ſic & voluntatem, virtutum exercitatione ſublatis impedimentis, quæ multa magnaq; eſſe ſolent, vnà cum inſtrumentis corporis actionibus ſuis continuò ſimilem, ac ad eas iterādas promptam reddi: ſi modo quicquam eximium eſt vnquā effectura. At ſi impedimenta virtutum, & adiumenta vitiorum, creſcere ſinat, ſuum imperium pulcerrimum in turpiſsimam profectò ſeruitutem commutabit. Prima verò vitiorum ſemina maxima cura tollenda ſunt, ab ijs qui virtutis fructum aliquem ſperare volunt: nam eorum tanta fœcunditas eſt, in hac corrupta natura, vt aliquid, imo multùm mali proferre nunquam deſinant, & tandem in magnas & firmas propagines excreſcant: ſemina quoque bonorum, quę pauca nunc ſunt et marcida, ſi ſalui eſſe velimus, diligentiſsime certè fouenda ſunt: vt ſemper aliquid ad res bene gerendas producant, quod auctum in animis noſtris & conſuetudine corroboratū, contra vitia tandem promptas & tutas, ad omnia virtutis opera, reddat noſtras actiones: idque non tantùm in ijs quæ iam diximus, ſed in reliquis etiam actionibus eſt obſeruandum, in quibus corporis prima cura multùm poteſt. Nam cùm efficiens omne, ſecundum finem propoſitum, inſtrumentis Habitus corporei

quibuſdam proferat aliquid, neceſſarium eſt, vt hæc omnia, ſi modò præclarum opus futurum ſit, inter ſe bene conueniant, & vt inſtrumenta corporis, dum frequenter efficientis animi vim concipiunt, eius actionibus aptiora continuò fiant. Quòd ſi verò externa vſu deteruntur, in quib. artifex ab inſtrumentis, & hæc ſunt a materia ſubiecta diuerſa: nam & ſecures & terebra, & alia eius generis hebetari continuò videmus: in ijs quæ nobis propoſuimus hoc locum habere non poteſt, cùm hîc artifex animus in ipſis ſuis inſtrumentis verſatur, quæ propterea exercitatione continuò promptiora fient, vt manus ad fides pulſandas, ad penicillum ducendum, & ad aliud quiduis agendum: modò tam immoderatus vſus nõ ſit, vt maiorem aliquam vim afferat naturæ. Affectuum etiam inſtrumenta quædam natura nobis dedit, iræ bilem flauam, mœſtitiæ nigram, & reliquis etiam omnibus ſua, quibus animus tanquam artifex præeſſet: quæ frequentibus motibus efficientis actionisque maiorem quoque vim acquirunt. ſic ira bilioſos, triſtitia verò melancholicos homines reddit: quoniam talia fermè ſunt opera, qualia ſunt operationis inſtrumenta, taliaq; fermè ſunt inſtrumenta, qualia vſus & conſuetudo fecit. Quapropter ſedulo prouidendum eſt, ſi Remp.

noſtram

noſtram incolumem eſſe velimus, vt à primis ſtatim annis, continuoque per reliquã ætatem omnem, omnes animorum & corporum motus ad res omnes bene gerendas incitentur, & virtutum omnium promptitudo firmitudoque multis voluntatibus & actionibus comparetur: nec enim vna hirundo ver nec operationes, niſi frequentes, habitum facere poſſunt. Cùm autem & actiones quibus virtutes comparantur, & & etiam virtutes omnes, ad bonũ aliquod rectà nos ducant, ſiquidem immoderatum aliquid bonũ eſſe non poteſt, conſtat, quod in commoderatione quadam naturam ſuam habent. Quemadmodum enim in reliquis omnibus accidere videmus, vt ſuæ naturæ conſentaneam obtineant efficiendi menſuram, ita veræ virtutes modum & limitem actionis humanæ nunq̃ excedent. Nec tantùm humana quædam mediocritas eſt, ſed etiam homines ſinguli ſuam quandam officij menſuram habent. Itaque dum virtutem inter exceſſum & defectum collocamus, eam ad vires & operationis finem conferimus. Conſiderandum enim quod bonum nobis accommodatiſsimum eſſe poſsit, & ad illud vires omnes ſunt intendendæ, nec vnquam ad vllam partem eſt nobis nimium progrediendum. Cùm autem vna tantùm mediocritas ſit, & ab ea

Virtus in mediocritate.

Vitia plura quàm virtutes

plurimi ſint defectus & exceſſus, hinc eſt quod plura vitia ſint quàm virtutes, & plures homines mali quam boni: quanquam, vt diximus, ſinguli viri boni mediocritatẽ ſuam ab alijs diuerſam à natura tenent, intra quam cum virtute conſiſtant. Sed hactenus in vniuerſum de virtutibus ſatis.

Quot ſint genera Virtutum. CAP. XIX.

Virtutũ genera.

NVNC deinceps earum ſingula genera conſideranda ſunt, vt exactiùs cognoſcamus, quantum particulatim omnes ad Remp. conducant. Quoniam igitur ex oblato bono vel malo varij motus in nobis concitantur, qui nos in diuerſiſsimam partem impellunt, in ijs rectè gubernandis duæ præcipuæ virtutes occupantur, quarum alteram temperantiam, alteram verò fortitudinem appellamus. Illa motus, qui proueniunt ex oblata ſpecie boni, hæc eos, quos mali ſpecies ſecũ affert, moderatur. Quòd ſi verò ſemper talis eſſet tantaque res propoſita, quanta nobis videtur, nõ eſſet quòd ex motibus inde prouenientibus magnam admodum laudem aut vituperium commereremur: ſiquidem vbique certas ob cauſſas, & ſecundum rectam rationem impelleremur. Nunc autem cùm deterior aut

melior

melior ſit quàm appareat, & aliæ meliores ſint aut deteriores, quæ nos potiùs debeant in hanc aut in illam partem commouere, ſi quod videtur corporis aut externũ bonum pro vero animorum bono contempſerimus, continentiæ laudem conſequemur: quæ ſic dicta videtur, quia ea nos continemus, nec per fucati boni ſpeciem nos à vero bono patimur abduci. Fortes autem appellabimur, ſi non ſinamus à falſa mali ſpecie nos in id quod verè malum eſt detrudi. Verum hic bonum aut malum voco, quod cuique magis eſt expetendum aut fugiendum: fucatum & falſum, quod cùm natura teneat inferiorem aut infimum locum, corruptis hominum mentibus ſe maiore quadam et meliori ſpecie offerre ſolet. Ita etiam in reliquis omnibus motib. conceptas vires pro concipientis natura mutari vel optimos à guſtu deprauato ſapores infici, Solisq; lucem puriſsimam vitri colore tingi videmus. Sed temperantia & fortitudo potiùs in ijs rebus verſantur, quæ ſingulos homines priuatim attingunt. In ijs autem quæ ſpectant ſocietatem generis humani, virtus eſt, quam iuſtitiam nuncupamus: quæ prohibet ne falſum noſtrum alterius vero bono maloue anteponamus. Verùm nunc bonum dico, quod in Repub. naturaque rerum maioris eſt momenti:

Conceptę vires concipiētis naturam imitantur.

oportet enim vt priuata ſemper publicis locum concedant. Iam, quia primus animorum noſtrorum motus ad veritatem tendit, opus eſt nobis prudentia, qua rationes negotiorum omnium facilè cernamus: & quia res humanæ ſuam à diuinis originem habent, ſapientia quoque nobis opus eſt, qua rerum omnium æternas cauſſas contemplemur. Hæc autem virtus quanquam natura dignitateque prior eſt, nos à poſterioribus initium ſumemus: & quoniā multò frequentior & maior mali quàm boni ſenſus eſt in rebus humanis, primum de fortitudine quædam dicemus.

De Fortitudine. CAP. XX.

HAEC pro honeſto quæuis pericula, calamitates & mortem ipſam contemnit: quæ quidem vt eſt omnium horrenda maximè, præcipua materia dicitur, in qua fortitudinis officium verſatur. Inſtrumentum fortitudinis ſecundum Phyſicos calor eſt, qui ſe in ambitum corporis è præcordijs ad promptam & agilem operationū vim contra apparentis mali incurſum effundit, et ad actionem atque adeo victoriam, quam ad affectionem & perpeſsionem quemuis paratiorem reddit. Quapropter oportet vt

Ariſt.l.3. c.6. eth. Cic.l.3. Offi.

ſimilem motum continuò meditentur & excitent, qui fortitudinis inſignem aliquã gloriam ſunt adſecuturi, et neceſſarium eſt, eos à leuiſsimis quibusque grauiſsimè premi, qui animum & corpus vecordia facilè conſtringi patiuntur, qui pericula morteſque acerbiſsimas continuo ſibi proponũt, & non potius contempto falſo malo, vim omnem animoſam ad verum bonum intẽdunt. Nam, vt frequenter idem dicamus, animus corporis motum ſequitur, & etiam mentis frequentem energiam imitatur hæc noſtra corporatura. Ita videmus propter aſſuetudinem perferendi laboris atque periculi, potiſsimùm eſſe fortes eos, qui diu ſtrenueque ſunt in re militari verſati, feminas autem contrà, propter cauſſas contrarias, eſſe timidas & imbelles: quanquam & hic & alibi natura quoq; plurimùm valet. Tametſi namque feminæ fortaſsis in prælio verſari poſſent, Amazonum exemplo, vera tamen non eſt ſententia Platonis, qui eas ad bellum aptas reddi debere putat: nã magis conueniunt rerũ domeſticarũ adminiſtrationi, nec tam is qui aliquo modo, ꝙ is qui vel optimè vel optimo proximè facere quid poteſt, aptus dici meretur. Sed exercitatio, quemadmodum in omnibus alijs, ita & hic maximum adfert momentum. Quapropter diligenter comparanda nobis In timęo in Rep.

ſunt

ſunt omnia fortitudinis inſtrumenta,ſic tamen vt nullas vnquam, ſi fieri poteſt,vitiorum præbeant occaſiones. Ira verò non mediocriter ad fortitudinem conducit: quam ob id ipſum non tantùm plurimis optimorum & ſapientiſsimorum virorum ſententijs & exemplis, ſed etiam autoritate diuina videmus interdum approbari.Sed oportet vt moderata ſit, & iuſtas ob cauſſas ſuſcepta,vt tempus ſuum non excedat, & denique circumſtantijs omnibus menſuretur:quod quomodo fieri debeat,ex ijs cognoſci poteſt,quæ priùs diximus,cùm virtutum & vitiorum gradus cōſideraremus.

Ira conſert fortitudini.

Quemadmodum autem ira iuuat fortitudinem, ſic ei timor plurimùm aduerſatur: cuius omnis ratio, cùm vnum contrarium alterius oſtendat naturam, iam facilè cognoſcetur. Vt enim hæc feruens eſt,& verſus ambitum corporis ſurſum,quo ſuperet alterum,fertur:ita metus frigidus eſt,& fugæ cauſa præcordia petit: & vt illa audaciam, ita hic timiditatem in animos noſtros inducit.

Timor aduerſarius fortitudini.

Quoties autem falſa opinio mali timorem nobis incutit, oportet vt voluntas confeſtim animum conuertat ad ſpeciem boni, quod cum malo coniunctum eſt, & auertat omnibus modis à cogitatione mali,doceatq; vel nullum,vel non eſſe tantũ, vt pro eo ſic debeat commoueri; cùm,

Fortis quomodo quis ſit.

ſi conſtet ſibi, nec ſe deijciat, vel auerti, vel alio bono compenſari poſsit. Id ſi voluntas ſedulò faciat, tandem reliquum animũ obſequentem rationi reddet, nec eum cum dedecore fugere ſinet, ſed virtutis ſtimulis, ad contemnenda quæuis pericula & quaſuis calamitates impellet: & in eo fortitudinis vis eſt ſita. Quamuis autem timorem fortitudini contrarium eſſe dico, tamen etiam eſſe poteſt honeſtus: ita deterreri debemus, ne contra virtutem, leges, eos qui in dignitate conſtituti ſunt, præcipuè verò ne contra Deum aliquid faciamus. Cùm itaq; nec in omnibus vbi vel ira vel timor vitiũ eſt, æquè ſit turpis, & cum his potiùs quàm cum alijs circumſtantijs laudetur & vituperetur, conſiderandum eſt, ne quis vel audendo vel metuendo modum ſuum vnquã, ſi fieri poteſt, ſi nequit, vt eũ ſaltem quam minimùm excedat. Nam vt reliquæ virtutes, omnes ita nimirum & fortitudo eſt in mediocritate cuiuſque conſtituta. Quamuis autem audacia magis quàm timiditas laudatur, vtraq; vitium tamen eſt, illud per exceſſum, hoc verò per animi defectũ. Sed de his iam ſatis multa dixiſſe videmur.

De

De Temperantia. CAP. XXI.

OBLATA ſpecie boni, protinus naturali quodam impetu ad illud conſequendum incitamur, animuſque iam eius acceſsione tanquam melior maiorque futurus, ſeſe effundit in totam corporis molem, præcipuè tamen in eam partem, per quam id ſe maximè conſecuturum eſſe putat. At ſi falſa boni ſpecies ſit, & mentem voluntas ad rerum inquiſitionem conuertat, cùm deprehendit vel non ſic, vel nullo modo, debere animum efferri, propoſito veri fucatique boni diſcrimine, eum in officio ſuo continet, quod ſi frequenter faciat, tandem efficit eum facilè obtemperantem: & eum habitum idcirco temperantiam appellarunt. Quemadmodum autem fortitudo nullis malis ſinit animum deijci, ſic iſta nullis lenocinijs eum patitur ab honeſto trahi. Ita quanquam ſpes & voluptas in vnam partẽ rapere tentent, & ex altera parte metus & ægritudo validè premant, ijs duabus virtutibus fretus animus, à medio decori loco non poteſt dimoueri. Temperantiæ igitur vis in eo eſt, vt non faciat quis quod inconſulta ſpes & voluptas poſtulant, fortitudinis, vt faciat id quod inanis metus & ægritudo

Contines quomodo quis fiat.

Temperantia.

ægritudo non eſſe faciendum, affirmant. Cùm itaq; turpis ſpes & voluptas plus iuſto progredi, metus autem & ægritudo infra modum regredi velint, hic opus eſt calcaribus fortitudinis, illic temperantiæ freno. Materiam verò temperantiæ maximè præbent ea quæ tactum & linguam demulcent. Habet quiſque noſtrûm temperiem quandam ab ipſa natura partium omnium, quam animus humanus & res externæ, vel in hanc vel in illam partem flectere ſolent: ita quidem, vt, quemadmodum in reliquis omnibus rebus, & hîc quoque limites ſint, intra quos cum voluptate conſiſtamus. Quòd ſi verò modum noſtrum exceſſerimus, ſtatim animi vel corporis doloribus laboramus. Sed non omnis affectio, quæ intra limites voluptatis conſiſtit, nobis eſt conceſſa. Nam ijs qui luxui vehementer dediti ſunt, illæ res, quæ tangendi guſtandique ſenſum demulcent, nimiùm placent: homines inuidi atque maleuoli ex aliorum calamitatibus ſummam capiunt voluptatem: & ij qui vehementer elatos animos habent, ſibi plus quàm par eſt inanibus quibuſdam ſomnijs aſſentantur: denique reliqua quoque vitia cuncta, in malis hominibus ſuam quandam gratiam habent. Nam qui falſis delitiarum ſaporibus imbuti ſunt, ſiue corruptæ primæ natutæ, ſiue prauæ

conſue-

conſuetudinis illecebris ducantur, ſimilibus maximè capiũtur, & ijs continuò quoque deteriores redduntur. Non itaq; ſemper voluptas nobis eſt conceſſa, quia non omnis, imò rara voluptas virtutem, & rara virtus voluptatem ſecum habet, eam inquam, de qua nos hic loquimur voluptatem: ſed aliam veram, optimam & neceſſariam ſui comitem virtus ſemper habet: eã verò voluptatem, quæ ſine virtute eſt, neceſſario tandem ſequitur dolor. At præſtat vt vltimum bonum expetamus, poſt quod nullum malum eſt, quàm id quod ſtatim in magnas & continuas moleſtias commutatur. Quapropter, cùm temperantia certum & perfectum bonum ſibi proponat, et ab eo varij flexus ſint, in quos nos fucata voluptas maximè trahit, ij qui veram felicitatem ſpectant, falſas illecebras, & eas præcipuè quæ vehemẽtiores ſunt ac longiùs à virtute trahunt, maximè vitent. Tales illecebræ ſunt quæ tactum & linguam demulcent. Cùm itaque hæc inſtrumenta corporis mollia ſint, cumque natura conſuetudineque continuò molliora fiant, & omnia ſemper ſimilibus ſuis delectentur, ſi modum ijs exceſſerimus, incontinentiæ turpiſsima labe nos contaminabimus: quæ perpetuum ſuum augmentum in nobis facile ſumit. Nam eiuſmodi dulcedine diutiùs

Virtus raro voluptatẽ habet.

Voluptatem ſine virtute ſequitur dolor.

ùs frequentiùsq; deliniti, dum earum partium titillationi nimium fauemus, totius vtilitatem & incolumitatem negligimus, præſentesq; voluptates impedimento ſunt, quò minùs proſpiciamus acerbitates futuras. Quanquam autem etiam nimiùm dura vita rigidaque laudari non debeat, perinde tamen in his rebus humanis locum non habet, cùm iam nemo ferè magis quàm oporteat ſe contineat à rebus iucundis. Ergo potiùs nimijs voluptatibus reſiſtemus, ac ad frugalitatem & omnem aſperitatem vitæ diligenter omnes aſſuefaciemus. Non fruſtra ſobrietatem, militiam, exercitationem variam à viris ſapientibus inſtitutam eſſe putamus, ſed vt ijs homines voluptatum iſtarum ſordes diſcuterent atque expurgarent, & ad continentiam aptos ſeſe redderent. Hoc inſtitutum veteres & Philoſophi & Legiſlatores diligēter tradiderūt, Perſæ, Lacedæmonij aliæque gentes feliciter obſeruarunt, & ij qui vitijs his obnoxij maximè ſunt ad eius obſeruationēm inſtitui maximè debuerunt: nam voluptates, præter alia plurima mala, ciuium animos omninò imbelles reddunt, vnde neceſſarium ſit facilè Reſp. per ignauiam interire. Laboribus enim nos aptos ad quaſuis res bene gerendas fieri videmus: delitijs nos debilitari, frangi & ad omnes res præclaras

inutiles reddi. Sic in hiſtorijs omnibus legimus, eos qui ſe laboribus tradiderunt, ſemper res magnas geſsiſſe, conuerſos autem ad voluptates, omnem ſtatim gloriam ſuam perdidiſſe. Nec tantùm in his quæ iam diximus, ſed in ijs etiam quæ auribus, quæ oculis, quæ mentibus percipiuntur, in ſermonibus & omnibus actionibus noſtris modus eſt diligentiſsimè ſeruandus: vt nihil nos delectet eorum quæ audiuntur, quę videntur, quæ intelliguntur, niſi contineat aliquam imaginem veri atque boni. ſic orationem & omnem actionem noſtram rebus & perſonis accommodemus, vt à decori via nunquam diſcedamus: & quoniam hic geminus affectus eſt, præteritę voluptatis & futuræ, iuſtum vtrique dolorem opponemus. Nemo enim tam demens eſt, qui voluptatem quærat, cui maiorem dolorem videat eſſe coniunctum: ita pœnis propoſitis voluptatum immoderatæ cupiditates franguntur. Sed hic rurſus animaduertendum eſt diligenter circumſtantiarum omniū diſcrimen: luxus in ſene quàm in iuuene deterior eſt, & impudicitia feminam maximè dedecet, ſacræ quoq; perſonæ & publicæ ſemper grauius peccant, & etiam quædam negotia, tempora locaque, vel à voluptatibus magis aliena ſunt, vel eas etiam admittunt. Sed quomodo circumſtantijs

Intemperantię remedia.

ſtantijs

ſtantijs virtutes & vitia mutentur, antea diximus: vnde quoque licet facilè cognoſcere, quomodo iuſtitia peccata caſtigari velit: de qua deinceps multa dicturi ſumus.

DE REPVBLICA LIBER II.

IAM priore Libro de tota Rep. deque virtutibus in vniuerſum multa dixiſſe, & duo virtutum genera pro inſtituto ſatis conſideraſſe videor, Antiſtes illuſtriſs. quæ quã præclaræ quamque neceſſariæ ſint ad res omnes cùm priuatas tum publicas, ex ijs quæ diximus, & ex alijs multis, quæ neceſſe non fuit hic recenſere, facilè cognoſci poteſt: quàm verò & hæ & omnes aliæ negligantur hiſce temporibus, ſentiunt illi quidem præcipuè, qui reliquis ſapientiores ſunt & meliores. Ij dum acutiſsimis mentis oculis latiſsimè cernant, & erga virtutem omnem optimè ſint affecti; non poſſunt temporum noſtrorum calamitatem acerbiſsimè non deplorare, non poſſunt poſt Deum Opt. Max. eorum opem non implorare, qui rebus laborantibus & perditis auxilium ferre debent. Quod ſi viri principes in ſummo pretio virtutem omnem ha-

beant,& omne vitium omni conatu deprimant, cùm natura quiſque rapiatur ad gloriam & vtilitatem, à decore autem & detrimentis vehementer abhorreat, eo ſolo felicitatem publicam non mediocriter promouebunt. Nec id quidem illis difficile fuerit: nam vel mediocriter cernenti, virtus ipſa ſtatim eluceſcit, & in Rep. bene conſtituta ſuapte natura ſuperiorem, vitiaque ſemper locum inferiorem petunt. Nune autem cum contra naturam vitia virtutib. imperent, & omnia potiùs fiant ad vtilitatem priuatam, quàm ad virtutem & felicitatem communem, à deterrimis malè ſentiendi viuendique monſtris totius Reip. Chriſtianæ ſalus miſerrimé opprimitur: adeò quidem, vt, cùm opinionum & vitiorum labes continuò ſerpat, & minus remedij quàm deſperationis videamus, non timere non poſsimus, ne noſtræ res in fœdã & celerem ruinam collabantur: certè ſpes, ſi qua nobis reliqua, tam eſt remota tamq; exigua, vt nullis humanis oculis bene cernatur. Sed rurſus tamen, quoniam Chriſtiani ſumus, etiam in ſumma deſperatione rerum omnium ſperamus & omnino confidimus Chriſtum, cùm eius Remp. æternã fore ſciamus, pijs hominibus nunquam eſſe defuturum, cuius proculdubiò beneficentiæ cuncta, nõ noſtris virtutibus debemus.
 Vide-

Videmus etiam ægritudines & calamitates ſæpè cauſſas ingentium bonorum fuiſſe, & veritatem ac virtutem, quæ ſubinde tenebris & ignauia temporum ac animorum offuſcatur et marceſcit, nouis eiuſmodi motibus iterum accendi ſolitam & inflammari. Nonnunquam Deus homines in ſummam deſperationem delabi ſinit, quò fateantur non ab humano præſidio, ſed auxilio diuino noſtram ſalutem pendere. Ipſe tandem animos magnos in Rep. facere & excitare ſolet, ad rerum omnium reſtaurationem: qui ſapientia rationes negotiorum animaduertant, fide ſubditos diligenter tueantur, virtutibus omnibus felicitatem in Remp. introducant, & eam honeſtiſsimam immortalitatem gloriæ ſibi quærant, pro qua ſummi labores á generoſis animis meritò ſuſcipiuntur. Nam inter res omnes humanas, ſi tamen potiùs humana quàm diuina dici debet ab animis excelſis, qui ſoli bene Remp. adminiſtrare poſſunt, præcipuè optanda fama rerum bene geſtarum eſt, quæ non tantùm in hominum animis, ſed etiam in monumentis ipſius æternitatis deſcripta manet. Eam tibi tibiquéſimilibus Antiſtes illuſt. pro tantis virtutibus & in Remp. cura deberi & exhibitum iri fatentur omnes boni, et iidem fore ſperant, quod per vos omnes virtutes in Rep. noſtra

ſuum obtinebunt aliquando ſplendorem Omnia vero, præſertim optima quæque, ſunt inter ſe arctiſsimè coniuncta, nec vnquam vna perfecta virtus à reliquis deſtitui poteſt, & omnes ferè parem ad hominũ felicitatem autoritatem tenent. Attamen inter reliquas iuſtitia latiſsimè patet, ac ad Remp. maximè pertinet, nec tamen minùs, imò verò magis quàm virtutes aliæ violatur: quæ ſi loqui poſſet, mœſtiſsima profectò oratione magnorũ virorum opẽ efflagitaret: imò aſsiduò aperteq; loquitur bonis ómnib. adeò quidem, vt eos frequenter in profunda ſuſpiria, lachrymas & querimonias compellat. Sed has in aliud tempus differemus, & nunc ad ipſius iuſtitiæ explicationem accedemus, quæ quoniam maximè communem ſalutem attingit, longiorem orationem à nobis hîc requirit.

De Iuſtitia. CAP I.

Plat. l. 6. de leg.

OMNIS autem virtus, quæ legibus paret, interdum à Philoſophis iuſtitia nuncupatur: nonnũquam etiam eadem, quia virtutes omnes mediocritate quadam continentur, temperantia ſeu frugalitas appellatur, & tam latè patens vitium ſibi contrarium habet, quod malitiam vocant; fortaſſe quòd

Ariſt. l. 5 eth. Cic. l. 3. tuſc.

illa

illa iuſtitia communis quàm latiſsimè ſe per omnem bonitatem extendat. Sed nos de ea iuſtitia nunc potiùs agimus, quæ in hominum cum hominibus coniunctione verſatur. Nam illa quæ non tam reſpicit ſocietatem generis humani, proprium etiam alterius virtutis nomen habet. Ità qui libidinis impetum recte moderatur, continens eſt: quatenus autem eam in alienas feminas effundi nō patitur, dici poteſt iuſtus, quòd infractus in periculis & calamitatibus alicuius animus eſt, idipſum fortitudini debetur acceptum: ſed tamen æquitatis etiam eſt officium, bonorum virorum pericula & iniurias fortiter propulſare. Iuſtitia verò propriè virtus eſt, quæ diſtribuit & exhibet idipſum quod cuique debetur. partim autem circa perſonas, partim circa rerum commutationes in contractibus occupatur. illa prior, de qua priore loco dicturi ſumus, exactiſsimè tribuit omnibus hominibus omnia ſecundum dignitatem quam habent. Cùm autem dignitas omnis bonorum pondere numeroque cognoſci velit, bonaque vel animi vel corporis vel externa ſint, & non tantùm inter hæc genera magnum diſcrimen, ſed etiam in ſingulis diuerſiſsimi inueniantur gradus, ijs quidem omnibus cognitis, cuiuſque dignitatem non poterimus ignorare. at neglecta cogni-

Iuſtitia quid.

Iuſtitia diſtributiua.

tione harum rerum, non video quomodo vel huius virtutis, vel etiam alterius, ſed huius præcipuè poſsit quis egregiam aliquam laudem mereri. Ergo nobis hic exacta cognitione bonorum eſt opus, quò ſciamus an quiſq; ſit quod commeruit conſecutus. Cùm autem in Rep. bene conſtituta ciues omnes, quatenus fieri poteſt, bonos, nec tamen ijſdem dignitatis gradibus deſideremus, in mutuis eorum voluntatibus & operationibus, quæ circa dignitatem ſingulorum verſantur omnis iuſtitia ciuilis occupatur, & efficit, vt omnes ciues inter ſe cum rebus conſentiant in pulcerrimam aliquam analogiam, qua communis felicitas continetur. Ita videmus in hac vniuerſitate rerum, quæ proculdubiò ab optimo ſapientiſsimoque artifice pulcerrimè conſtructa eſt, & inuictis æquitatis vinculis vndique comprehenſa, partes alias alijs eſſe præſtantiores, atque præſtantioribus aut inferioribus negotijs deſtinari, & viciſsim tamen officijs ſuis ſingulis ſimul omnes incolumitatem totius fabricæ pro viribus tueri. Nam cùm vnum tantum poſsit eſſe perfectum, neceſſarium fuit, vt reliqua iunctis ſubſidijs ſingulorum & omnium imbecillitatem iuuarēt, & ſic quæ imperfecta ſingula ſunt, in vnā perfectam totius imaginem pariter conſpirarent. Res igitur in hac

Reſpub. cùm vniuerſa natura ſimilitudinē habet.

vni-

uerſitate debebant eſſe variæ, cùm ſolum vnum illud æternum, nullum autem factum ſeipſo poſsit eſſe contentum, & ſic etiam oportebat, vt eſſent homines in Repub. diuerſi, qui, ad ſimilitudinem partium totius naturæ, ſe mutuis beneficijs proſequerentur. Quemadmodum autem magnus ille magnæ Reipub. gubernator optimè nouit, quid quamque rem perſonamq; maximè deceat, ad exornationem fabricæ totius, ſic etiam ciuitatum moderatores, quatenus hominibus prudentibus conceſſum eſt cognoſſe cauſſas & euentus rerum nihil ignorare, quod ad felicitatem ſubditorum totiusque Reip. conducit, ſed ciues pro cuiuſque ingenio ſic in diuerſis negotijs inſtituere debent, vt in vrbe tota nihil omnino deſideretur. Si verò ciues pulcerrimum ordinem voluntatibus & actionibus obſeruent, in eo quidem Reip. totius æquitas eſt collocata. Quoniam itaque nos optimam aliquam Reip. ſpeciem hîc nobis proponimus, ad cuius imitationem ſatiùs eſt, vt nos componamus, quàm ad aliam aliquam minùs perfectam, ſiquidem imago ſuum exemplar abſolutum nunquam adſequitur, & ipſa continuò deterior fit deteriorum imitatione, oportet vt in eiuſmodi Republica partes omnes ad ſuos vſus quàm optimè ſint conformatæ, ſuæ naturæ conſentaneas

Iuſtitia Reip. totius.

neas operationes in communem felicitatem edant, & vt omnes confluant in vnam aliquam totius Reip. perfectam energiam.

Quod ad Deum omnia referri debeant.
CAPVT II.

SED quoniam ita dignitatum ordines diuerſi ſunt, vt à ſuperioribus inferiora contineantur, & vnum ſit, in cuius poteſtate reliquorum vis omnis ſit collocata, æquum eſt, vt non tantùm Reip. noſtræ conſiderationem nobis proponamus, ſiquidem eam bene conſtitutam & felicem eſſe velimus, verum etiam, vt ad illum vnum omnia referamus, cuius beneficentiæ cuncta debemus, ſi vel nos vel actiones noſtras alicuius eſſe pretij velimus: nam cùm ab eo ſuam habeant omnia dignitatem, quatenus aliò tendunt, eatenus procùldubio dedecus & damnum ſuum accerſunt. Opus eſt igitur, vt in eius gratiam omnia faciamus, ſine quo nihil penitus habere facereúe poſſumus: quod ſi præſtiterimus, eo ipſo finem noſtrum & operationum noſtrarum omnium, hoc eſt ipſam felicitatem conſequemur, quæ ſemper comes eſt eius partis iuſtitiæ, qua nos Deo tribuimus, quod illi debemus. Nam cùm ipſe nec nobis nec factis

noſtris vllis vnquam egeat, debitum officium, honorem videlicet ſummum, illi reddere, nihil eſt aliud, quàm imaginem quandam eius; quatenus mens noſtra capax eſſe poteſt, cum admiratione, veneratione, noſtræque tenuitatis comparatione concipere, & pariter componere totas operationes noſtras ad eius vnius ſummum incrementum: non quòd eum, qui ſibi planè ſufficit & immenſus eſt, iuuare maioremúe reddere poſsimus, ſed quòd animum noſtrum, ſi mòdò dignitatem ſuam obtinere velit, non tantùm huius vniuerſitatis, verùm etiam illius artificis ſupremi quandã ſimilitudinem gerere conueniat, vnà cum vera ſui ipſius & factorum omnium ad ipſum factorem comparatione. Quantò verò nos hanc ſimilitudinem veriorem & exactiorem continemus, tantò proculdubiò maiores & præſtantiores ſumus, & meliùs ſummum illud interuallum inter factorem factaque maximis illis animorum noſtrorum ſpatijs dimetimur, quanquam ijs finitis infinitum illud penitus aſſequi nunquã poſsimus. Sed hac pulcerrima ſanctiſsimaque comparatione, maxima quæque, et etiam hæc omnia ſimul, certè minima ſunt, dum cum immenſo rerum omnium autore conferuntur: imò verò nulla ſunt, niſi quatenus ab eo dignitatem aliquam habẽt.

Dei hominis in quo ſit.

Deus creſcit in nobis.

Hinc

Hinc ergo nos nec alijs nec nobis quicquã, ſed omnia Deo debere ſcimus. At quantò ſunt animi præſtantiores, quantoque maieſtatem Dei magis admirantur & venerantur, tantò propiùs ad eum accedunt & maiorem atque veriorem concipiunt effigiem ac vim diuinam, & eatenus Deus etiã Opt. Max. iuſtum in nobis augmentum ſumit, quod tamẽ, quoniam eo nos ipſi creſcimus in eximiam felicitatis menſuram, verè potius noſtrum incrementum appelletur.

Dei honos in nos redundat.

Cùm itaque bonum omne, præſertim illud ſummum, etiam ſecundum Philoſophos, ſuapte natura libenter vnumquenque ſui quàm latiſsimè participem reddat, varijs imaginibus è ſigillo diuinæ mentis in animos noſtros expreſſum, fit etiam quodammodo maius. Sed cùm interim totum in ſuo principio ſemper perfectè maneat, imagines iſtæ, diuinæ ſimilitudinis incremento, nunquam exemplar illud ſuum primum, cui nihil addi queat, cùm planè perfectum ſit, perfectius reddere poſſunt: verùm dum illud continenter imitantur, & effecta cum ſua cauſſa ſemper magis conſpirant in vnũ, & ad ſuam originem aſsiduò reuertuntur, continuò maiorem eius ſimilitudinem & vim aſſumũt. Ita etiam homines vel Dij vel dijs ſaltem proximi fiunt, in quo quidem felicitas omnis eorum & æquitas erga Deum

Felicitas in ſimilitudine eũ Deo.

um eſt ſita Nam quantò meliores ſunt homines, ſeque Deo magis ſummittunt, tantò meliorem ſuis cogitationibus & ſuperiorem eum faciunt, quibus etiam ipſi meliores & ſuperiores fiunt: in quo vis honoris elucefcit.

De Honore. CAP. III.

HONOR omnis exiſtimationis verus eſt comes: exiſtimatio verò dignitatis interuallis menſurari cupit, & dignitas omnis in aliquo bono ſuam omnem naturam habet. Cùm autem ſummo bono cuncta debeantur, quantoque meliores ſunt quique, tantò proximiorem eius ſimilitudinem gerant, ❘atenus illis, propter illud ſummum tamen, iuſtitia proximos etiam exhiberi vult honores: atque vt hæc iuſtitiæ pars eſt. maximè diuina, ſic eius violatione nihil deterius inuenitur. Itaque videmus Deum Opt. Max. ſuperbiam & ſuperiorum contemptum eſſe maximè deteſtatum, & ijs etiam fuiſſe grauiſsimè ſemper infenſum, qui ſuperiores honores, quam deceat, inferioribus, præſertim ijs quæ mente carent aut mala ſunt, exhibuerunt, ac vnius ſupremi gratia non omnia fecerunt. Hinc eſt quod incorporatorum & dæmonum cultu ſit

Honos ſanctis viris debetur.

Honoris diuini violatio maximũ malum.

tantum

tantum impietatis crimen. In omnibus igitur cogitationem omnem ad Deum Opt. Max. conuertamus, & omnes alios, quatenus eius participes ſunt, obſeruemus: quatenus inquam eius participes ſunt, & honores, quibus afficiuntur, ad illum ipſum referre & poſſunt & volunt. Nam quæ duabus iſtis conditionibus carent, nullus mentis compos vnquam affecerit honore: quoniam eum ad ſuum illud principium nunquam transferunt, ſine quo verè nullus eſſe poteſt. In ijs verò quæ ratione vtuntur, meritò primùm admiramur partem maximè diuinam, ſed tamen etiam eius cauſſa corpus laudamus & hæc externa, veluti diuitias & principatus, quæ quidem animo nõ tantùm ornamento ſunt, ſed & inſignem aliquam conferunt poteſtatem: poteſtas autem verè magnum quippiam in rebus humanis eſt & diuinum. Verùm & hic præcipuè & alibi ſemper diligenter cauendum, ne modum excedamus. Nam cùm tria genera bonorum ſint, quemadmodum iam ſæpe diximus, quæ perſonis ſuam afferunt dignitatem, inter quæ corporis & externa poſtremum locum tenent, pleni libri ſunt eorum exemplis, qui tam vehementer venuſtatem, pompam & diuitias admirati ſunt, vt meritò ſint ab ijs qui rectè iudicarunt impietatis ſummo crimine condemnati.

Honos quibus debeatur.

nati. Reliqua nimirum omnia propter animum, animum propter Deum ſuſpicere debemus, non in illis infimis vnquam hærere, non ea quæ facta, nec interdum admodum eximia, factori, non humana diuinis præferre. An autem quis honorem ipſe ſequi debeat, nondum omnibus ſatis conſtare videtur: nam multi ſunt grauiſsimi autores, qui contra gloriæ appetentiam multa ſcripſerunt, & tamen eam etiam ijſmetipſis ſcriptis non mediocriter affectarunt. Sed non omnis honos eiuſdem conditionis haberi debet: alius enim ſolidus & honeſtus eſt, alius eſt ab hoc lõgè diuerſus. Atqui veri honoris cupiditas quòmodo laudabilis nõ ſit, qua quis & optimus eſſe, reliquosque factis aut ſcriptis meliores reddere, nec non in animis bonorum quàm latiſsimè diutiſsimeque verſari velit. Vanus autem honos, qui non ſummum bonum, ſed imum aliquod, reſpicit, qui falſis opinionibus nititur, diuturnus eſſe nequit, & eſt ab omnibus meritò vituperandus. Ergo curandum, vt ipſi quàm optimi ſimus, & viris diuinis, ſed propter Deum ipſum, honorem exhibeamus: nam ita nos meliores, & eos quoque in nobis tanquam maiores reddemus. Cùm autem multiplex dignitatis diſcrimen ſit, eo diſtinguendi ſunt honoris quoque gradus, diligenterque conſiderandum, non

Honorẽ an aliquis ſequi debeat.

Honoris cupiditas laudabilis.

Honores pro gradib. dignitatum diſtinguendi.

Honos menſurã dus ſpatio, quo quis aliũ dignitate ſuperat.

Honos externis inditijs oſtenditur.

Honoris compenſatio.

non tantùm quis ſit is cui exhibebitur honor, ſed etiã is, qui eſt eũ exhibiturus: quò interuallum dignitatis inter vtrunque cognoſcamus, & exceſſu dignitatis ipſum honorem dimetiamur: nam pares eodem ſeſe inuicem debent excipere modo, tantoque honorificẽtiùs excipi ſinguli debent, quantò ſingulis dignitate ſunt ſuperiores. At cũ inter Deum & homines nulla comparatio ſit, manifeſtum eſt, quòd nos omnes illi pares, hoc eſt quantos poſſumus, honores exhibere debeamus. Sed in hominibus conferendi ſunt diuerſi dignitatis gradus, & ita de hac iuſtitiæ parte, quæ circa honores verſatur, iudicandum. Quamuis autem honor ab exiſtimatione hominum proficiſcatur, hæc vult externis quibuſdam inditijs demonſtrari. Honorem itaque exhibere dicimur, dum lingua geſtuque nobis alios eſſe maiores ſignificamus, & locum illis ſuperiorem damus. Sed quærere poſſet hic aliquis, pro honore exhibito, quam iuſtitia poſtulet fieri compenſationem. Omnes enim actiones bonæ præmio quodam dignę videntur, quod quidem ab eo, cui ſeruiũt, merito requirant. Verùm rurſus non videtur ex eo quis debitor alterius fieri, ſi accipiat id quod ſibi debetur: quod autem pro dignitate cuiuſque cuique debeantur honores, iam ſatis eſt manifeſtum. At oportet

vt tantò quis melior ſit, quantò maiores honores meretur: quantò verò melior eſt, tantò proculdubiò ſuæ bonitatis alios libentiùs participes reddit: alios inquam, nō omnes pariter, ſed eos præcipuè, qui ſunt aptiores, vt participes fiant. Quòd autem etiam honorem exhibendo continuò reddamur meliores, iam diximus: & hinc intelligere poſſumus eam iuſtitiæ partem, quam nunc explicamus. Nam is cui exhibetur honor debitum accipit: is qui exhibet, quia melior fit, acquirit compenſationem: & hinc quoque quid mereantur qui alios afficiunt ignominia, facilè deprehendemus.

De *Infamia.* CAP. IIII.

QVOD ſi verò flagitium eſt, non exhibere bonis viris debitum honorem, quid de illis dicemus, qui pro honore infamiam reddunt: qua vix quicquam deterius ab hominibus expectari poteſt: ſiquidem honor eſt præcipuum quoddam ornamentum, quod reliquis corporis & externis bonis omnibus longè debeat anteferri. Certè videmus multos clariſsimos viros mortem etiam ipſam pro gloria facilè contempſiſſe: quod tamen temerè faciendum non eſt,

ſed in ijs præſertim quæ magni momenti ſunt, ſummum iudicium adhibendum, duobusque malis propoſitis vtrunq; diligentiſsime, cum ſuis circumſtantijs perpendendum. Itaque cùm mortem certam aut ignominiam viderimus, conſiderandum eſt, an id quod in reliqua vita noſtra præſtare poſſumus, plus boni contineat, quàm infamia continet mali: nam ex duabus rebus bonis malisúe propoſitis, ſemper ea quæ melior fuerit, à nobis eligenda. Conſiderandum eſt etiam qualis ſit infamia, & à quibus ſit hominibus profecta: quemadmodum enim magna res eſt à bonis viris laudari vel vituperari, ita maledicorum reprehenſiones non ſunt àdeò magni faciendæ. Primùm curemus, vt infamiam non commereamur: deinde, vt etiam à bonis viris laudemur: qui cùm ipſi ſinguli, quàm plurimi homines mali, plus ponderis habeant eorum iuditio freti, contumelias maleuolorum facilè negligemus. Verùm paucisſimorum hominum virtus eſt adeò nota, quin detrectationibus facillimè fama læsdatur. In tantis enim hominum vitijs & ſceleribus, omnes ad mali, quàm boni, ſuſpicionem paratiores ſumus: & ideo nec malorum reprehẽſiones omnino negligimus: præſertim cum ipſi quoque ſpecie boni quemque facilè decipere ſoleant. Frequenter

er bene, cuius non ſatis manifeſtum eſt, quiſnam melior ſit, is ne qui dicit iniuriã, an is qui cogitur eam audire:& etiam ſi manifeſtum ſit, multæ circumſtantiæ conuenire ſolent, quæ magis incitent ad faciendum,quàm ad dicendum:vnde facilè ſuſpiciones ſcelerum oriantur. Cùm autem apud omnes homines,eos maximè, qui generoſiores animos habent, honor meritò plurimi fiat,quiduis potiùs quiſque, quàm infamiam,mauult tolerare: & ita frequentiſsimas & maximas perturbationes ex maledicorum contumelijs videmus in ciuitatibus excitatas.Quapropter homines contumelioſi in Repub. bene conſtituta ſeuetiſsimis legibus ſunt coërcendi:nam ſi rectè capitali ſupplicio afficiuntur, qui fortaſsis argenteos aliquot ſurripuerunt,quibus pœnis digni ſunt illi, qui famam tollunt? quæ quidem innumeris modis præſtantior eſt, nec perindè facilè reſtitui poteſt. Quapropter non ſatis mirari poſſum,quod de multis rebus minutis paſsim multæ leges ſint, & ſatis diligenter obſeruentur, in his verò maximis, deſiderijs eorum qui veram laudem & vtilitatem publicam maximè ſibi proponunt, minimè ſatisfiat. Tanta nunc enim tamque impunita malè loquendi libertas eſt, vt nec dijs nec hominibus parcatur. Verùm hæ querimoniæ tametſi iuſtiſ-

ſimæ, longiorem orationem requirunt, quàm vt hic locum ſuum habere poſsint. Quanquam autem ignominiæ multis modis fieri poſsint, lingua paratiſsimum eſt earum inſtrumentum. Quapropter curandum eſt à Legiſlatoribus, vt ad eas minùs accommodatum fiat: quod etiam in reliquis inſtrumentis vitiorum eſt obſeruandum, itá tamen vt conſideremus, an ijs ciues maiorem aliquam vtilitatem adferre Reip. queant. Nec igitur vel oculis, vel manibus, vel pedibus eſt facilè quis priuandus, ſed ijs quæ magnum adiumentum non adferunt ad vtilitatem communem: vbi tamē perpendendum eſt, an eadem inſtrumenta ſint, quibus aliquis peccauit. Cùm furibus aures tolluntur, quanquam inditium perpetuum commiſsi criminis ſecum gerant, tamen ad furtum non ideo minus apti fiunt: ſed qui lingua mutilatus ſit, ea non ampliùs alijs iniurias dicet: nec inde proueniet incommodum aliquod ciuitati. Nam qui malè loqui conſueuit, nunquam bene loquendo Remp. vehementer iuuabit. Reliqua multa vitia, vt impudicitia, ebrietas, inanis oſtentatio, in corpore, in rebus externis, in naturali mollitie, in diuitijs ſæpe magnas occaſiones habent, quibus ſublatis remedium ſolent inuenire. At maledicentia potiùs ab animo ſolo proficiſcitur, qui

Lingua præcipuum inſtrumentum infamiæ.

ex alterius detrimento, ſine proprio aliquo emolumento, ſummam quandam capit voluptatem, quamuis aut malum in hominũ maledicorum mente ſit, abſque lingua perinde non erumperet in perniciem aliorum. Sed & hic quoque ſeſe occaſiones offerre poſſunt, vt ſi quis priùs damnum perpeſſus aut iniuria quapiam ſit affectus. Non tantùm verò dictis, quanquam his frequentiùs, ſed etiam factis infamia quis notari ſolet: in quibus etiam omnibus videnda ſunt ea, quæ de gradibus virtutum & vitiorum priore libro dicebam, & ita de pœnis in remedium horum malorum eſt ſtatuendum. Pondus infamiæ illatæ diligenter examinandum eſt, vt eo ſuppliciorum modum æſtimemus: plurimis enim hominibus maiore ſpecie, quam verè ſit, offerre ſeſe conſueuit: quoniam omnes motus animorum noſtrorum, vbi ſemel impetum acquiſierint, libenter modum ſuum excedunt. Cùm autem gloria quemuis euehat in ſublime, quanto magis infamia deprimit, tanto fuerit maior. Videndum eſt igitur quàm altũ dignitatis gradum tenuerit quiſq;, & quam magnis ſpatijs ab eo fuerit deiectus: quod ipſa rei turpitudo demõſtrat, ſi cum priore gloria conferatur, & inter vtramque medium ſpacium menſuretur. Turpitudinem autem intelligere debemus, quatenus ali-

Infamiæ occaſiones conſiderandæ.

Infamiæ magnitudo quomodo cognoſcatur.

cui iam adhæret: nam quæ propter manifeſtam integritatem vitæ, cum qua nullo modo congruere poteſt, facilè diffluit, non eſt tanti momenti, ſiquidem eam omnes falſam eſſe ſciunt. Attamen qui famam tollere conatur interim eſt acerrimè puniendus. Leges enim delicta conſiderant, etiam quatenus Remp. lædere poſſunt; & is qui lædere cupit homines manifeſtæ probitatis, alios obſcuriores multò facilius aggredietur. Ita non tantùm propter peccata præterita, ſed futura potiùs homines mali ſupplicijs afficiuntur. Conſiderandum eſt etiam ad infamiæ magnitudinem cognoſcendam, quiſnam eius fuerit auctor: Nam ſi reliqua paria ſint, quanto hic inferior fuerit, tanto deprimit magis: Si quis verò decimum gradum teneat, & infra eum qui quintum habet, fuerit deiectus, manifeſtum eſt, quòd inferiorem locum obtinebit, quã ſi infra eum qui ſeptimum aut octauum poſsidet, eodem ſpatio diſtaret. Itaque ſuperiores, vt Principes, multa citra infamiam, præſertim infimis hominibus, facere poſſunt, quoniam eò non reddunt hos inferiores: ſi tamen interim in hominibus inferioribus ex dictis aut factis Principum nullum vitæ turpitudinis ſit argumentum. Potentiores aut multa potiùs ex ſuo iure, quam ad aliorũ iniuriam facere credũtur;

qui tamen ab omni contumelia debent eſſe vehementer alieni. Sic ergo res & perſonæ ſunt hîc diligenter conferendę, quo meliùs & horum malorũ magnitudinem intelligamus : & ita pro meritis à legibus ſupplicia conſtituenda ſunt, ac à Magiſtratibus executioni diligentiſsimè mandanda : quod ſi fiat, non erit quod priuati, ob iniurias acceptas, ipſi vindictam ſumant. Nemo enim ferme tam inhumanus eſt, quanquam ſit iniuriam perpeſſus, quin, cùm videat alium ob id ipſum in calamitatibus poſitum, ſibi ſatisfactum eſſe putet. Omnis aũt honoris & infamiæ ratio in animorum tabulis, quas prius deſcripſimus, poſita videtur : in quibus oportet omnes homines iuſtis ſuis ordinibus eſſe depictos : niſi rerum naturam euertere noſtris cogitationibus velimus. In ijs, ſi præſtantiori deteriorem locũ demus, protinus iuſtitiam, quantùm in nobis eſt, violamus, & iniuriam illi, cui conditionem inferiorem tribuimus, facimus, quam is iniquo animo merito ferre poſsit : qui nimirum cupiat omnes de rerum & hominũ ſuaque dignitate rectiſsimè iudicare. Hinc ſtatim etiam vindictæ cauſſa ſumitur: dum eos, qui male de cuiuſpiam, maximè de noſtra dignitate iudicant, eſſe cupimus alijs, & præcipuè nobis inferiores. hæc aũt omnia fiunt euidentiora, cùm animi iudicium,

externis factorum argumentis, in aliorum & quidem eorum præcipuè, quos magni facimus, conſpectu fuerit demonſtratum. Suamq; enim nos facile conſolemur, dum ad virorum ſapientium Deique iudicium reſpicimus, in quo rerum & animorum veritas eſt proprijs ſuis lineamentis & coloribus depicta, quæ in tabulis & monumentis ipſius æternitatis conſeruetur, tamen cùm tria genera bonorum ſint, ferè fit, vt & in ijs hominum de ſe iudicium quiſq; ſequatur, & eò quoque ſe feliciorem arbitretur: vtque id in bonis etiam numeretur. Deinde quiſque fretus hominum opinione multum præſidium ad res omnes bene gerendas habet: quoniam homines illis maximè fauent, de quibus præclaram exiſtimationem conceperunt. Itaque cùm ex hominum iudicio quiſque ſuam auctoritatem adſequatur, ea bonis adimi & malis hominibus tribui ſine maxima Reip. pernicie nequit, quam probi viri æquo animo ferre non poſſunt.

De auxilij ferendi ratione, deque Iuſtitia diſtributiua & commutatiua.

CAPVT V.

SED

SED nos iam vlteriùs pergamus, & reliquorum etiam beneficiorum vim & naturam conſideremus. Nam ſi quædam ſolo honore contenta ſunt, ea ſcilicet, quæ cùm indeficiente vita fruantur, opera noſtra non habent opus, inter homines certè nemo tam perfectus eſt, quin alterius adiumenta requirat: nam nec ſummi Principes ſine multis ſubditis eſſe poſſunt, & ſanctiſsimi viri hîc multa quę ad vitam neceſſaria ſunt, ab alijs quotidie ſumere coguntur: ita fit, vt non tantùm honorem ipſi mereantur, ſed vt aliorum etiam ſubſidium expoſcant. Quatenus igitur aliquis præſtantior, & nobis vtilis eſt, nec operam noſtram requirit, eatenus honor ſolus, alioqui potiùs opera noſtra quæpiam illi debetur. Cùm autem nos non vni tantùm, ſed plurimis ſeruiamus, perpendendum eſt rurſus, qualis ſit quiſq;, & quomodo nobiſcum coniunctus. Nam videmus in reliquis rebus & in corporibus humanis, partes proximas, & iiſdem operationibus magis deſtinatas, in malis quidem pariter affici, ac in bonis à ſe inuicem potiùs iuuari, & tamen nobilioris totiusque incolumitatem ſemper præferri. Ergo per dignitatem cuiuſque, quæ ſibi ipſi ſufficiat, honoris diſcrimen, & per vtilitatem publicam vel priuatam, quam affert

Auxilij ferendi ratio.

quiſque, ſi noſtram operam expetat, illius compenſationem inueniemus. In vtilitate verò publica magnum eſt inter ciues diſcrimen. Non enim pariter in priuatos omnes redundat,& eatenus tamen ab ijs compenſationem ſuam meretur. Conſeruatores Reip. maius beneficium in potentes & diuites conferunt,quàm in eos,qui non magis ab vna quam ab alia Rep.pendent. & id eſt quod anteà dicebamus, qualis quiſque eſt, talem operam & compenſationem ab eo deſiderari, à ſuperioribus nimirum ſuperiorem: vt qui plus accipit in Rep. plus etiam reddere cogatur. Nam ab hac iuſtitiæ parte, quam diſtributiuam appellant, Geometricam analogiam obſeruari dicũt: quod quidem quomodo verum ſit, iam paucis conſiderare libet. Vocant autem Geometricam analogiam, cùm quemadmodum primum ad ſecundum,ita ſe tertium habet ad quartum, & quemadmodum primum ad tertium, ita quoque ſecundum ad quartum:quod in monade,dyade,tetrade, & ogdoade cernere licet, ſi iſti numeri inter ſe conferantur. Eiuſmodi numerorũ comparationes Cicero, media nominat, Platonici medietates appellant, ac ijs omnem rerum naturam in vnum coniungunt. In medietate Geometrica, qualis eſt numerorum,talis eſt differentiarum analogia:

Analogia Geometrica ſeruatur in iuſtitia diſtributiua.

dyas

dyas enim ad monadem, & tetras ad dyadē duplam analogiam facit, & inter tetradis & dyadis differentiam, & eam quæ eſt inter dyadem & monadem, eadem dupla nimirum, eſt analogia: idq; etiam in reliquis omnibus Geometricis numeris vſu venit. Cùm autem in hac diſtributione, de qua nunc agimus, & res & perſonæ cōſiderandæ ſint, oportet vt hìc ambarum differentiæ ſimilem analogiam obſeruent: & quemadmodum perſonarum dignitas eſt diuerſa, ſic & res inter ſe differant: res inquam, & quæ dignitati cuiuſque debentur, & quas dignitas alijs debet. Iam conſtat dignitatem perſonarum vel ab animo, vel à corpore, vel à rebus externis prouenire, & nec externa cum corpore, nec corpus cùm animo rectè conferri, niſi quatenus deteriora præſtantiorum inſtrumenta quædam eſſe ſolent: ita qui pecunijs abundat, faciliùs ſanitatem adipiſcitur, & auxilia multorum hominum, quæ ſtatim quoque potentem eum reddunt. Ergo conſideremus quæ bona quiſque poſsideat, & inde quid ab vnoquoque iuſtitia requirat, inueniemus. Ab eo qui animo corporeq; multum valet & diuitijs abundat, iuſtitia poſtulat, vt alios meliores reddat, in periculis defendat, in penuria ſubleuet, & honore ſit ipſe contentus; qui tamen tantò maior ſit, quantò is

Iuſtitia diſtributiua perſonarum et rerum proportionem Geometricam requirit.

cui

cui debetur præſtantior eſt,& aliorum bonis minùs habet opus: ſic vt ſemper rerum & perſonarum eas analogias ſeruemus, de quibus iam dicebamus. Sed cùm hic nemo tam felix ſit, quin aliorum auxilijs illi ſit opus: conſiderandum eſt, quibus maximè rebus indigeat quiſque, & quis illi commodiſsimè opem ferre poſsit, vt omnium ciuium defectus, aliorum tanquam exceſsibus ſuppleantur, & ſi fieri poteſt in tota Rep. nihil omnino deſideretur, ſed dãdi accipiendiq; viciſsitudine in vnum perfectè cuncta conſpirent. Ergo perpendat quiſque, quid præſtare poſsit, quod alius requirat, & in eo diſtribuendo Geometricam analogiam obſeruet: at ſi reliqua paria ſint, illi qui magis opus habet, potiùs ſuccurrat: ſi verò reliqua paria non ſint, diſcrimen omne perſonarum diligenter animaduertat, & illi bonorum diſtributionem accommodet. Diſcrimen autem illud in bonis eſt, & eorum vario defectu. Defectus ſolus nihil omnino meretur, cùm ipſe tantùm manem quandam habeat naturam: ſed vnius boni defectus, cum alio bono coniunctus, à viris bonis ſuppleri debet, vt cum virtute paupertas aut ægritudo. Conſiderandum itaq; quis defectus cum quo bono ſit, & ſecundum analogiam Geometricam eſt illi ſubueniendum, tantò ſcilicet magis, quantò

Defect⁹ exceſsib. ſupplentur.

Defect⁹ ſolus bonum aliquod nõ meretur

bonum eſt maius, cum quo coniungitur, & etiam quantò maior eſt defectus. Ita quantò quis melior eſt, tantò potiùs vel ſanari vel ali debet, & etiam quantò ægritudo vel fames fuerit maior. Quod ſi verò bonorum & defectuum numeros omnes cognouerimus, facilè ſecundum iuſtitiam omnia diſtribuemus. Debet enim talis res diſtribui, quæ ſuppleat defectum, & ſecundum eam, de qua diximus, analogiam. In reddendis autem beneficijs non tantùm perſonarum, ſed habenda ratio beneficiorùm ac ceptorum, vt hæc & illa ſimilem teneant analogiam. Si ab vno duplo maius quàm ab alio beneficium fuerimus adepti, vtrúq; ſimili quadam analogia compenſemus, & illi à quo duplum accepimus, duplo maius beneficium quam alteri reddamus. Præſtaret quidem eadem menſura in accipiendis & reddendis beneficijs vti: nam æquabilitas monadem, rerum omnium conſeruatricem proximè refert, vt eſt apud Philoſophos, & ipſa eſt omnis analogiæ procreatrix, à qua numerorum omnes comparationes deſumantur: ſed tamen iuſtitia non conſtringit nos ad ea quæ nullo modo fieri poſſunt. Fieri verò nequit, vt ſemper omnibus parem gratiam referamus. Attamen interim voluntas referendi ſaltem par, imò potiùs maior eſſe debet, vt animis ſuppleamus,

Beneficia quomodo cõpenſentur.

amus, quod rebus ipſis deeſt. Ergo cùm perfectam æquabilitatem adſequi non poſſit hæc natura, ſed ad vniuerſi complementum oporteat eſſe diuerſos rerum & perſonarum gradus, qui tamen omnes per analogiam mutuam pulcrè conuenirent in vnum, id etiam in operationibus noſtris diligenter obſeruabimus, vt ſi non poſsint eſſe pares, ſaltem iuſtis ſuis numeris ſint dimenſæ. Quòd ſi quis itaque duobus quid debeat, quod omnino perſoluere non poſſit, debitorum analogiam conſideret, & eam omnem ſoluendo ſeruet. Debita verò naſcuntur ex obligationibus, quibus aliquis conſtringitur ad aliquid faciendum aut permittendum. Obligationes partim ſolius iuris naturalis ſunt, quæ communis tantum æquitatis vinculo continentur, partim etiam ciuilis, quæ poſitiui quoque iuris autoritate conſtituuntur. Naturali obligatione parentibus vitam & educationem debèmus, & ipſi quoque nobis ſimilitudinis ſuæ conſeruationem & propagationem debent. Principibus Reiq; pub. noſtri tutelam & hanc ciuilem felicitatem referimus acceptam. Hic autem præcipuè neceſſitas & dignitas cuiuſque conſideranda venit, vt ſcilicet indigentiori melioriq; potiùs opem feramus, quemadmodum anteà dicebamus. At magis quemque ſibi quàm alteri

Obligatio.

Obligationes duplices

teri ſuccurrere poſcit ipſa natura. Nam ſi neceſsitas aliorum ſuadet, vt illis, ſi poſſumus, opem feramus, noſtra vult, vt potiùs nobis conſulamus. Iam, cùm vel ſingulis ſinguli, vel ſinguli multis, vel multi ſingulis, vel multi multis obligati ſimus, manifeſtum eſt, quòd commune debitum, ſi reliqua paria ſint, debeat ab vnoquoq; præferri. Rurſus, cùm aut nobiſcum naſcantur obligationes, aut poſtea contrahantur, hæ quoque diligenter fuerint inter ſe diſcernendæ. Inter eas verò quæ poſtea contrahuntur, virtus principem locum tenet. Itaque diligenter perpendendum, quantum quodque valeat, & quod cui ſit præferendum: perſonæ cum perſonis, res cum rebus, & hæ cum illis ſedulò ſunt conferendæ. Multum quidem prima natura poteſt, plus tamen virtus & plurimùm vtilitas communis, á qua quidem virtus ſeiungi nequit. Itaq; clariſſimos viros legimus interdum etiam proprios filios, & ſeſe pro virtute Reǫ; pub. certæ morti, nō tantùm periculis obieciſſe. Ipſa verò dimenſio beneficiorum difficilis non eſt in rebus iſtis externis, quandoquidem eam nummorum vſus egregiè demonſtrat, cùm in ſuas partes diuiſi ſint, quibus etiam conueniat æſtimatio rerum. Si quis enim vnam aliquam menſuram teneat, non erit difficile ea internoſcere, quibus illa poteſt

Aeſtimatio facilis eſt rerũ externarum.

poteſt accommodari: ſed corporis & animi bona, longè difficiliùs æſtimantur. In omnibus autem vſus atque facultas tam dantis quàm accipientis conſideratur. Sanitas & vita neceſſaria quidem ſunt, nec ea quiſquam cum externis bonis permutarit: cùm tamen faciliùs, quam pecunia, medicus inueniatur, & ex multis vnus eligi poſſit, hinc eſt, quòd huic moderato precio ſatisfiat. Non enim Medico tanti conſtat manum admouere, quàm ægroto pecuniam quærere: nec etiam dat ſanitatem Medicus, ſed operam ſuam præſtat, quæ poteſt nummis compenſari. In reliquis etiam artibus idem perpendendum: quàm neceſſaria ſcilicet egregiaque ſint opera, quamque vehementer hic operam, æſtimationem ille requirat: vt nec vnus alteri plus vendere, nec alius aliunde viliori precio comparare poſſit. Idque ſemper tenendum eſt, ſiue res vel operas inter ſe, ſiue res operis aut contrà, vel hæc omnia pecunijs æſtimemus. Aequitas ſemper medium hic locum inter lucrū atque damnum habet: & hinc eſt quòd in iuſtitia commutatiua dicūt Arithmeticam obſeruari analogiam. Qui rem venditam tradit, eatenus damnum patitur, quoniam bonis ſuis deſtituitur, ſed hoc damnū pretio accepto reſtituitur: ita emptori quoq; pretium traditum æſtimatione rei compenſatur,

Vſus & facultas in obligationibus ſpectatur.

Iuſtitia cōmutatiua analogiam arithmeticam ſeruat.

ſatur, & vterq; quodammodo inter lucrũ & damnum conſiſtit. Quod ſi verò quædam intolerabilis inæqualitas ſit, vt ſi quis vltra dimidium iuſti pretij fuerit deceptus, æquitatis miniſter vni tantum damni, alterique tantum adiudicat lucri, quantum ſufficiat ad rationi conſentaneam æqualitatem: ſic à medio quodammodo ſunt vtrinque pares lucri damnique portiones, quæ cum differentijs numerorum Arithmeticorum ſimilitudinem gerunt. Lucrum enim vnius alterius damno par eſt, & vtrunque iudex in locum alterius viciſsim commutat: dum, quod quis vltra iuſtum pretium adſecutus eſt, adiudicat alteri: quanquam eiuſcemodi contractus ſuapte natura non ſolent eſſe rati. Sed nos hic vim iuſtitiæ commutatiuæ conſideramus, quæ vult æſtimationem rei traditæ pretijque accepti eſſe parem. Eadem etiam in operis ratio manet: temporis enim & laboris iactura damni vicem gerit, quæ ſemper vult alio lucro compenſari. Tametſi verò corporis & animi bona cum externis bene nequeant æſtimari, tamen his illa faciliùs comparantur, vt antea dicebamus, & apud pauperes certè non exiguum momentum habent: ac ideo numerantur in partem cõpenſationis. Videndum itaque quantum vnumquodque, tum publicè, tum apud

vtrunque priuatim valeat, & rerum actionumque dignitas, vtrinque diligenter eſt perpendenda: vt æſtimationes omnes ſint pares: nam circumſtantiæ variæ ſunt & argutæ, quæ non niſi oculis valde perſpicuis & acutis cerni volunt. Duplex autem obſcuritas hîc proponitur, altera voluntatũ, altera reliquæ naturæ: & vtraque magnam intelligendi lucem requirit, antequam bene poſsit cognoſci. Nam quanta ſit in rerum natura difficultas, ſciunt illi qui multum in ea cognoſcenda laborarunt. Voluntates verò, tantò ſunt etiam obſcuriores, quantò cauſſas minus certas & neceſſarias habent. Sed oportet, vt hæ ſe ſemper accommodent ad rerum propoſitarum naturam, & vt omnia pulcerrimis analogijs in abſolutiſsimam vniuerſæ Reip. faciem componantur. Voluntates humanæ tanquam artifices ſunt, quibus natura rerum gerendarum accommodatiſsima præbet inſtrumenta. Oportet autem non tantùm vt artifices ſinguli cum ſuis inſtrumentis, et quemadmodum hæc ſic etiam illi inter ſe conueniant, ſed etiam vt ſuppleant induſtria, ſi quid fortè deſit: ita ex multis & varijs inſtrumentis vna quædam officina fiet omnibus rebus inſtructa, & ex multis operib. vnum abſolutum opus, cui multi artifices diuerſis ordinibus, locis & temporibus vnanimiter

Voluntates humanæ ſunt artifices. Inſtrumentorum analogiam artifices imitari debent.

nanimiter præſint. Ordines diuerſi diuerſæ Reſp. ſunt, quæ ſingulæ ſingulis ciuilibus, omnes autem communibus gentium naturæque legibus, tanquam artis præceptis vtuntur, ad totius humanæ Reip. finem atque felicitatem, & ad dignitatem totius operis magiſtri. Is multa vitæ præcepta naturæ rationisq; tabulis inſcripſit, quæ vult ab omnibus hominibus ſeruari: quædam etiam deſcripſit literis magis arcanis, quæ tantùm intelligant ij, quibus ſunt animi multò magis diuini. Ita gratiæ, rationis naturæque legibus in vnum omnia coniunguntur, quibus oportet vt conſentanea quoque ſit voluntas humana. in conſenſione verò voluntatum cum dignitate rerum & perſonarum iuſtitia verſatur, & idcirco rerum vniuerſa natura debet à legiſlatoribus & magiſtratibus ſedulò conſiderari, ſine cuius cognitione fruſtra nos ſperemus res vel publicas, vel priuatas rectè conſtituere poſſe.

Artifices faciunt inſtrumenta ſua meliora.

Leges ſunt præcepta artis ciuilis, quæ nos inſtrumentis propoſitis vti docét: & ex omnib. legibus, ſacris naturalib. & ciuilibus magna quædam ars conſtituitur.

De Pactis. CAP. VI.

SED quoniam iam breuiter demonſtrauimus, quomodo ſecundum dignitatem rerum & perſonarum omnibus omnia iuſtitia diſtribui velit, nunc reliquam æquitatis partem in pactis ſitam conſideremus, quæ

Iuſtitia in conſenſione voluntatum cũ dignitate cuiuſiam que.

iam in expreſſa voluntate vim ſuam habẽt: ſine qua quidem multa ſunt, velut hominũ erga Deum, & filiorum erga parentes, obligationes. Verùm, vt hæc omnia quoque meliùs intelligamus, more noſtro rem propoſitam paulò altiùs repetemus. Iam conſtat, non tantùm hanc rerum naturam, quã oculis noſtris cernimus, ſed & aliam, quam ne cogitatione quidem comprẽhendere poſſumus, libera Dei poteſtate, & ea quoq; noſtram omnẽ poteſtatem contineri. Conſtat etiam, poſt Deum Opt. Max. nos in has res imas Dei beneficentia ſummam quandam obtinere libertatem. Omnibus hominibus quoque ſemina quædam veritatis inſita ſunt à natura, præſertim in ijs rebus, ex quibus inſignes fructus ſalutis communis prouenire poſſunt, ſecundum rationem verò veritatemque conſpirantibus hominum voluntatibus nihil hic potentiùs eſſe poteſt: in eoque conſenſu communi præcipuè ius gentium collocamus: quo factum etiam eſt, vt pro locorum, temporum & ingeniorum varietate diuerſæ Reſp. conſtituerentur, in quibus plurimorum quoque conſenſus, ſecundum rationem, communemque felicitatem, ſuam autoritatem obtineret. Eo communi conſenſu quoque ſtatutum eſt, vt è communibus quiſque cũ priuatim tum publicè partem occuparet,

& in ea quæ iure teneret, liberam poteſtaté haberet. Primum igitur locum libera Dei poteſtas obtinet, ſecundum ex illa locum habet gentium omnium, tertium ab eo ciuium omnium & ſingulorum libera poteſtas: poſterioresque poteſtates ſemper à prioribus robur ſuum acquirunt, & hinc quoque pactorum vis, quæ in duorum pluriumúe iuſto conſenſu eſt, ſuam obtinuit autoritatem. Quod enim priuatorum iuſto conſenſu ſtatutum eſt, publicus conſenſus ratum eſſe vult: & quod inter Reſp. iure conuenit, gentium ius Deique voluntas ſeruari cupit, & inferiores à ſuperioribus ad executionem quoque voluntatum compellũtur: niſi aliquid intercidat, propter quod aliter diuina prouidentia fieri patiatur. Sic ergo Dei libera poteſtate libera poteſtas hominum eſt conſtituta, quæ ſecundum rationem, omnibus euidenter inſitam, de rebus communibus in vnum cónueniens, gentium ius effecit, à quo Reſp. quoque priuatæque ſuam ſunt conſecutæ. Ratio verò communis hoc poſtulabat, & in id ipſum publica gentium poteſtas quoque conſpirabat, vt, quò terra meliùs coleretur, quo reliquorum omnium cura maior haberetur, & homines inter ſe minùs decertarent, quiſque liberè frueretur ijs rebus omnib. quas iure poſsideret, niſi diuerſum vtilitas

publica ſuaderet, propter quam eſt propri etas dominiorum inſtituta.ſemper enim fini,quem hic eſſe dicimus Reip.felicitatem, omnia quæ contendunt ad eum, accommodari debent. Propter naturam humanã communem omnes parem habemus poteſtatem:quatenus enim homines ſumus,nullum inter nos diſcrimen habemus: propter cuiuſque propriam naturam alij tenent aliis poteſtatem ſuperiorem : ſuperiorem inquam , non in ea quæ prioris ordinis ſunt: nam propria natura communem illam, euertere nequit, ſed in ea quæ prioribus æquabilitatis legibus non ſunt definita. Ijs conceſſum quidem eſt,vt quiſque quod iure teneret,poſsideret, & liberam rectè vtendi transferẽdique poteſtatem haberet,quæ par etiam in omnibus hominib. eſſet, quẽadmodum & humana natura.Sed cùm hæc aut melior aut deterior, vel à natura ſingulari fiat , vel inſtitutione, perſonarum hoc diſcrimen operationibus quoque noſtris & legibus conſtituendis ſequi debemus. Si ponderis eiuſdem omnes eſſemus, primam illam æquabilitatem liberæ poteſtatis & voluntatis tantùm obſeruaremus : nunc quoniam alij ſunt alijs meliores & diligentiores, hinc eſt exortum magnum dignitatum diſcrimen. Nec tamen idcirco, quia magnum hic perſonarum rerumque diſcrimen

Aequabilis conditio hominum.

men eſt, æquabilitas prima non ſeruatur: nam omnium conſenſu cuique quod ex communibus occuparet eſt iure conceſſū, in eoque communi pacto par fuit, aut eſſe debuit, ſingulorū hominum voluntas. Sed quia præter illam communem naturam multis modis homines inter ſe differunt, hinc eſt, quòd per voluntatum omniū parem conſenſum, alij ſint alijs ſuperiores, qui nimirum virtutibus antecellunt, qui in occupandis communibus fuerunt diligentiores, & hominum voluntatem fortunamque magis habuerunt aſpirantem. Et tamen ſemper æquabilitas prima voluntatum nihilominus manet, qua cautum eſt, vt quiſque ſuis vteretur vt proprijs, communibus vt communibus, & ab alienis prorſus abſtineret: vt in res ſuas omnem non inhoneſtam, in alienas inuito domino nullam, libertatem haberet: ſic eſt æquabilitas omnium vbique ſeruata. Non enim vnus aliena magis quàm alius inuadere, nec ſuis minus vti poteſt: ſed tamen in alienis æquabilitas eſt maior. In ijs enim non vnus plus quàm alter, imo verò nemo quicquam, in proprijs autem quiſque multum poteſtatis habet: quoniã non tam intereſt tranquillitatis cõmunis, ciues rebus ſuis, quàm alienis, abuti: Quanquam autem in rebus noſtris larga nobis eſt vtendi transferendique relicta

Aequabilitas maior in bonis alienis.

poteſtas,attamen in ijs diligenter rerum et perſonarũ diſcrimen obſeruare debemus, vt quantò perſonæ ſingulę,tãtò ſint & ipſæ quoq; res maiores,quemadmodũ antea dicebamus.Leges enim de minutiſsimis quibuſque ferri non potuerunt, & ideo multa, quæ tamen facere non decet, nobis libera reliquerunt. Sed nunc,quoniam in vniuerſum hominum de his rebus vniuerſo conſenſu diximus,quid in pactis tenendum ſit, conſideremus. Primùm, dubium eſſe nequit, quin vt in reliquis omnibus, ſic & in voluntatibus humanis debeat aliquis eſſe propoſitus finis. Cùm igitur bonum omnium rerum finis ſit, oportet, vt ij qui contrahunt, eum quoque ſibi proponant. Itaque contra religionem, naturam, Reip. vel contrahentium omnium vtilitatem,pactum nunquam eſſe debet ratum:vt ſi ad impietatem aut alicuius rei inutilem interitum referatur. Inutilem autem interitum voco,qui cauſſa non eſt alterius alicuius boni: nam in natura,quam nos omnes imitari decet, quicquid interit ſemper alterius ſeruit procreationi. Non igitur legitimis pactis quicquam in vniuerſa rerum natura deterius fiet, niſi tranſeat in alterius alicuius aut in communes vſus, præcipuè verò communes, qui ſemper priuatis ſunt anteferendi.Itaque ſi quid quibuſdam vtile

Pactorũ finis bonum.

futurum

futurum eſt, ſed Reip. damnoſum, nunquã vllo modo fuerit à legibus admittendum, nec etiam aliquid quod vtrique contrahentium eſt obfuturum: non autem eſt veriſimile, quòd aliquis ſanæ mentis ſeipſum vnquam lædere velit. Cùm verò multiplex damnum, animi, corporis & externum ſit, cumque minimum animi bonum malumúe reliquis omnibus vel maximis multò maioris ſit momenti, permittendum non eſt, vt quis animo deterior ſit, quo vel ipſe, vel alius aliquis, alijs bonis abundet. Si verò dixerit quis, malum, potiùs quàm in operationibus, in ipſis voluntatibus eſſe, quæ nulla legum humanarum vi cogi poſſunt: reſponderim, operationum & euentorum cauſſa voluntatès ſe fermè flectere vel in hanc vel in illam partem, nec illis impeditis has admodum ſolitas eſſe commoueri, & nos hîc non tam voluntates, quam executiones perpendere, quas publicus conſenſus ad malum finem deſtinari non ſinit. Non igitur quicquam, quod ad malum exitum tendãt, ferendum eſt, nec etiam corporis detrimentum pro emolumento externo, niſi fortaſsis corporis damnum externis bonis poſsit compenſari. Ita pro diuitijs, quibus ad vitam neceſſaria cõparantur, varios labores ſuſcipi videmus, & in commertijs, alios quidem labores &

Volun- tas cogi nequit.

Bona quædam externa quibuſdam corporis bonis præferenda.

moleſtias vtiles, alios pro ijs diuitias polliceri: vtiles autem voco, quæ proſint quidem alteri, pro quo ſuſcipiuntur, nec tamen vehementiùs, quàm par eſt, ſuo nocẽt auctori. Nam ſi quis aliquid promiſerit, quo valetudinem ſuam inſigniter frangat, & ipſe profectò inſanus & alter iniquus ſit, ſi pactum ſeruari velit. Qui tamen ſui corporis detrimento poſsit incolumitatem & vitam alterius præſtantioris tueri, rectè feciſſe dicetur, ſi pro ea non dubitauerit quoduis vitæ diſcrimen ſubire. In animi verò bonis hæc comparatio locum non habet: non enim per vitium vnius alter melior reddi ſolet. Conſiderandum autem eſt, quales res ſint, de quibus homines paciſcuntur, & an per pacta Reip. minus vtiles fiant: vt ſi de interitu alicuius rei, qui nulli ſeruiat, inter ſe conſentiant. Nihil enim per contractus in tota Rep. deterius fieri, ſed vnius alicuius damnum in alterius vtilitatem transferri poteſt. Hæc externa quanquam dominos mutant, ipſa tamen manẽt, & etiam ſi mutentur, tranſeunt in alios vſus communes: quod ni fiat, non debent permittere leges, vt quis ſtultis ſuis pactis naturam rerum peruertat. Quanq̃ autem contractus nunquam quidquam in vniuerſum deterius facere poteſt, quòd tamen priuatorum incommodo Reſp. iuuari debeat,

etiam

etiam Apoſtolus ſatis probat, dũ pro Iudæis ſuis ſe libenter etiam anathema futurum dicit: nimirum ſi id poſtulet ipſa prouidentia Dei. Sed quemadmodum reliqua cuncta, ſic & hoc pulcrè factum eſt, vt qui ſalutem ſuam pro communi ſalute, Deiq; gloria exponere non dubitant, eo ſolo magnũ bonum commereantur & adſequantur: & qui ſibi potiùs quàm alijs & Deo ſtudent, eò quidem ſtatim & ipſi mali ſint, ſibíque mali plurimùm accerſant. Singula diligenter cum alijs omnibus conferenda ſunt, & ſemper minus malum bonumque præſtantius eſt eligendum. Quiſque ergo res externas omnes perdat, quo tueatur hominem, & lædat alienum, quo ciuem & Chriſtianũ iuuet, ac potiùs ſibi conſulat & amicis, quã alijs & inimicis: ſic tamen, vt communis iuſtitia non violetur. Non enim quò iuuemus amicos aut inimicos lædamus, vnquam iniuriam inferre debemus. Sed ſi amici priuati ſint, inimici verò principes & viri boni (nam etiam inter optimos contentiones ſuſceptas eſſe videmus) equidem conſtat corpus vniuerſum partibus, & partes præcipuas reliquis, & virtutem vitijs, & gratiam Chriſti reliquis omnibus debere præferri. Per corpus autem vniuerſum, non vnam tantum aliquam priuatam intelligimus, ſed totam etiam Rempub. humanam.

Iuſtitia communis inuiolabilis.

Itaque

Itaque ſi quid vna Reſp.cum alia, ſuis etiam cum hoſtibus, legitimè pepigerit, quanquã cedat in alterutrius aliquod detrimentum, ſeruandum tamen eſt, quoniam id poſtulat vniuerſa ſocietas generis humani. Vt autem omnia quàm optima ſint, dignitatum gradus inter ſe diligentiſsimè conferendi ſunt, quodque in tota melius eſt vniuerſitate perficiendum à præſtantiſsimis hominibus, & iis qui ſapientia reliquos antecellunt. Verùm, quoniam pauci tales nunc in rerum natura ſunt, & ſe leges accommodant temporibus & locis, ideo ſi non optimum, imò ne bonum quidem ſequamur, contractus ſaltem cauſſa non ſint euidentis mali: euidentis inquam, quoniam vt diximus, minutiſsima quæque nec legibus comprehendi, nec ab hominibus etiam interdum acutiſsimis cerni poſſunt. Sed iam pro inſtituto fermè ſcimus, quiſnã omnium contractuum ſit præcipuus ſcopus: is enim quamuis in omnibus operationibus omnium eſt poſtremum, primus tamen in conſiderationem noſtram venit. In contractu igitur omnes ſemper vtilem, vel ſaltem nunquam inutilem, aliquem habeant ſibi propoſitum finem. Multa verò in rebus humanis tanquam indifferentia ſunt, in quibus vix eſt euidentius bonum quàm malum, quæ conſenſum etiam hominum

firmum

firmum admittunt. Satis enim debet eſſe multis legibus, ſi peccandi facultas ciuibus non cõcedatur. Cùm verò frequenter contractus, quemadmodum & ea quæ ſunt in reliqua natura, multis ex partibus in vnum coniunctis componantur, conſiderandum eſt quid in vnoquoque vel boni vel mali ſit, & quid ſine totius interitu tolli poſsit: vt cùm omnia ſingulaque rectè fuerint inueſtigata, cognoſcatur, quis contractus aut quæ pars eius rata debeat haberi. Partes autem nunc voco etiam circumſtantias omnes, quæ in eiuſmodi negotijs incidere ſolent.

Contractuum partis perpendendæ.

De contractuum efficiente cauſſa. CAPVT VII.

EFFICIENS cauſſa poſt finem propoſitum ſuum locum tenet. Fine nempe rectè conſtituto, ad eum ſtatim incipit ſe commouere, id quod eius conſequendi poteſtatem habet: quod quidem in contractibus eſt mutuus duorum aut multorum conſenſus. Is ſi verus & legitimus ſit, ſuapte natura confeſtim contractum parit, ſi verò nullus ſit, nullus quoq; contractus eſſe poteſt. Oportet autem vt agendi vis cum fine bene conſentiat, ſi modò pro voto ſit eum vnquam adſecutura:

Efficiens cum fine conueni re debet.

adſecutura : oportet vt bonum,quod finē contractuum eſſe diximus, in efficiente ſit, priuſquam hoc egregium aliquod opus ſit aggreſſurum. Igitur eatenus ſaltem neceſſariò quis bonus aut non malus erit,quamuis alioqui malis multis imbutus eſſe poſsit.

Malum eſt priuatio boni.

Cùm autem nihil tam malum ſit, quod non ſit particeps alicuius boni, ſiquidem illud nihil aliud quàm inanis quædam boni defectio, & hoc eſt omnium rerum cauſſa, quemadmodum Philoſophi dicunt, eatenus certè nullus á contractibus interdicetur. Itaque Chriſtianus cum extero,de ijs quæ religionem ſpectant, paciſci nequit, quoniam alter eſt à fidei negotijs alienus. De prophanis verò rebus alter cum altero contrahere poteſt: quod licet non conſentiant cum gratia,ſæpe conſentiant, aut conſentire poſsint,cum inferiore ratione.

Malum cum bono vel malo conſentire nequit.

Malum autem cum bono, aut etiam cum malo, ſiquidem talem qualem illi dedimus eſſentiam habet, nunquā conſentit,niſi quatenus aliquo modo refert naturam boni. Itaque nec homines mali vnquam inter ſe coniungerentur, niſi alicuius gratia, quod illis vtile bonumque videtur.

Contractus ſine fundamēto iuris diffluunt.

Leges autem bonum non quod videtur, ſed quod verè bonum eſt ſibi proponunt: & in ijs contractus omnes omnem ſuam firmitudinem ciuilem habent. Itaq; confeſtim eos diffluere

ere videmus, qui nullo iuris fundamento ſuſtentantur. Verùm cùm hic in vniuerſum de pactis omnibus diſputemus, in quibus ab efficientibus bonis dicimus eſſe propoſitum bonum aliquem finem, quicquid ca codæmones cum hominibus paciſcantur, non videtur aliquam poteſtatem habere poſſe. Quemadmodum enim bonum omnia coniungit in vnum, ita malum ſuapte natura cuncta diſſoluit. Diceret fortaſsis aliquis, tametſi dæmones vltimum aliquem malum finem ſibi proponant, eum tamen pactis ſæpe non explicari, quemadmodum etiam in noſtris rebus vſu venire ſolet. Cùm autem finis ab vnoquoq; propoſitus alijs ſit ignotus, non decet vt, quia fortaſsis malus ſit, ſi quis vlteriùs proſpiciat, ob id expreſſum conſenſum, cuius effectus alioqui ſuapte natura bonus eſt, non ſinat eſſe ratum. Quòd ſi vterque malum aliquod vltimum euidenter ſibi proponeret, cùm nullum bonum ad aliquem malum finem inſtitui poſsit, pactum non eſſet alicuius momenti: ſiquidem à fine ſuam omnem dignitatem aut indignitatem actiones & efficientia conſequuntur: ſed ſi alter aliter ſentiat, non eſt neceſſe effectum omne ſecundũ vltimum finem ab altero propoſitum æſtimari. Proximior enim finis vtrique propoſitus eſt, vt aliquid fiat, quod vel bonum, vel

Pacta cũ dæmonibus.

vel ſaltem non eſt malum: & cùm in eum ambo conſenſerint, conſentiendi poteſtas, propterea quòd vnus vlterius ad aliquod malum proſpiciat, quod hoc tanquam inſtrumento ſe conſecuturum eſſe ſperat, nõ videtur impediri, quo minus ad exitum ſuũ perducatur. Ita ſi quid pactis dæmonũ fiat, quod vtilitatem aliquam adferat, quanquã ipſi aliò reſpiciant, non fuerit, inquiunt nõnulli, à legibus interdicendum: quibus facilè reſponderi poteſt. Primùm, nihil vnquam admittendum eſt, quòd potiùs eſt cauſſa mali quàm boni: quòd autem faciliùs homines decipiantur q̃ dęmones, cuiuis ſatis eſt manifeſtum. Deinde vel ſciunt homines cum quo contrahunt vel ignorant: ſi ignorant, contract' nullius eſt momenti: ſi ſciunt, neceſſarium eſt, vt, qui cum eo, qui planè malus eſt, conſentiunt, eo ipſo mali protinus fiant, ad malum quoque finem pariter contendant, & malis inſtrumentis malum opus conficiant. Quamobrem, ſi propter æquitatem diuinam, per vniuerſam naturam diſſeminatam (qua cautum eſt, vt qui ſe malo ſummittit & ipſe malum ferat) eiuſmodi pactorum aliqua poteſtas eſt, in contrahentium perniciem valet. Certè videmus multos eiuſmodi pactis in ſummũ periculum, & in maximum malum incidiſſe. Non enim leges planè tollunt quod interdi-

terdicunt, ſed factori tantùm pœnam indicunt, cùm tamen interim factũ infectũ nõ fiat. Quod aũt malum nullam vim habere dicunt, verum eſt: ex pactis enim eiuſmodi potiùs imbecillitas prouenit, quàm virtus. Nam quatenus quis poteſtate, quam in ſeipſum habet, per eiuſcemodi pacta dæmonum conſortio ſe coniungit, eatenus ab illa diuina poteſtate recedit, à qua cuncta proculdubio ſuum omne robur conſequuntur. Nec verò ad eiuſmodi pactorum executionem, niſi vel ab hominibus vel à dæmonibus, vel à Deo cogi quis poteſt. Quanquam autem potentiores homines in alios multam, non tamen vllam in dæmones poteſtatem habent, nec ea poteſtate, quam tenent, in eiuſmodi negotijs vti debent: nec etiam à dæmonibus homines; niſi poteſtas ijs fuerit à Deo conceſſa, nec dæmones à dæmonibus compellentur. Hæc igitur iuſtitiæ pars, cùm Reip. noſtræ ſuperior ſit, ſuperiori diuino iudicio fuerit relinquenda. Sed quin homines dæmonibus, & dæmones hominibus adiuti, multa præſtare poſsint, quæ non præſtarent ſinguli, dubium eſſe nequit. Verùm, putant non tantùm pactis dæmones allici, ſed etiam vi quadam, quę ſit in ſacris literis, cogi poſſe: cùm tamen legamus magos quoſdam Apoſtolorum verbis vſos, nullam poteſta-

Dæmones an verbis cogantur.

tem obtinuiſſe: quod in ſpiritu potiùs quã in literis & verbis ſit vis illa diuina. Quòd autem incorporeorum vires in corporum ſimilitudines per accommodata media libenter confluere dicunt, & ideo Mathematica, quæ ſint media quodammodo inter corporea & diuina, hiſce negotijs maximè conuenire, tanquam vincula quædam, quibus incorporea in corporaturam trahantur, alio loco ſumus latiùs conſideraturi.

Proc. in Tim. in Eucl.

Illud verò hîc eos interrogauerim, qui ſciant, quæ ſimulacra, quibus exemplaribus potiſsimùm ſint accommodata: nam naturalia, etiam ea quæ ratio nondum inuenit, actionum continua ſimilitudine cognoſcuntur: at iſta Magica varia ſunt & incerta, quæ nulla poſſunt arte comprehendi, & artifex ille perfidus, quem decipi cogiq; putant, nequit rebus illis inanibus ſuperari. Hæc igitur Magorum præſtigia, cùm nunquam vtilia, ſuisque ſint auctoribus ſemper periculoſa, ſunt à legibus prorſus interdicenda. Verùm ex impoſitione prima naturæ, quæ nunquam fallax eſſe poteſt, iuſtitia communis poſtulat, vt quod inferius eſt, ſemper obtemperet ſuperiori. Angeli verò dæmonesque natura ſunt hominibus, homines autem animantibus alijsque rebus inanimis ſuperiores. Sed quia gratia ſuperior eſt huic naturæ, ea nimirum homines

præſtantiores dæmonibus etiam imperare poſſunt. Ex ijs autem quæ iam diximus intelligimus quoq;, cur cum hominibus planè perditis, qui iam proximius ad cacadæmonum conditionem accedunt, nobis con trahere non licet. Si verò bonum aliquod Deo Deique miniſtris promittamus, quod tamen alioqui neceſſariò faciendum non fuit, cùm ſtatim ipſi nobiſcum conſentire putentur, pacto ſatisfaciendum eſt, quatenus fieri poteſt. Inſuper cum angelis & diuis, bonis operibus tanquam paciſcimur, vt aliquid pro nobis per gratiam ſecundũ prouidentiam Dei præſtent: ſic enim illis ſimiles in vnum conſentimus cum voluntate Dei: ſed hæc aliam altiorem conſiderationem habent. Satis autem ſit nobis indicaſſe, quomodo bonum aliquod finis contractuum ſit, & efficiens cauſſa cum illo conſentiens voluntas. Vt autem voluntas cum bono rectè conſentiat, cognitione rerum propoſitarũ nobis eſt opus, ſine qua, ſiquidem mens tanquam oculus eſt, cæca voluntas non habet quod ſequatur. Conſtat igitur in vnam veritatis notitiam eos oportere conuenire, quicunque rectè ſunt contracturi. Quapropter dementibus, ebrijs pueriſque ſecundum leges contrahere non licet, & reſtituitur in integrum, ſi quis certis argumentis oſtenderit

Homines dæmonib. imperãt.

Contractus cognitionẽ requirit.

derit ſe turpiter eſſe defraudatum, neceſſariũ eſt etiam, vt liberi ſint, qui contrahunt: nam ſi ſint alterius ipſi, nihil habent, niſi quoad poteſtatem fuerint à dominis ſuis conſecuti. Itaque ſerui, filij familias, pupilli in ſuum damnum non paciſcuntur, nec tantum quia ſub alterius poteſtate ſunt, ſed etiam quia facile decipi poſſe videntur. Cur autem ipſa pacta nonnunq̃ rata non ſunt, interdum autem tametſi rata ſuapte natura maneant, ius ciuile remedium contrahentibus tradat, latiùs explicare ad iuriſconſultos pertinet, & ſi quis vim & differentiam iuris naturalis & ciuilis didicerit, eius cauſsam facilè cognoſcet.

De contractuum materia, & inditijs voluntatis. CAP. VIII.

MATERIA contractuum res eſt aliqua vel actio, quæ ſit in noſtra poteſtate. Inania namque ſunt omnia pacta de rebus omnibus, quas natura rerum nullo modo vel eſſe vel fieri ſinit. Sunt aũt in noſtra poteſtate, quæ induſtria laboreúe comparare poſſumus, et hæc externa, quæ iure tenemus. An verò de voluntatibus noſtris inter nos paciſci poſſimus, quæri poſſet, vt ſi quis in poſterum ſe matrimonium contracturum eſſe polliceatur.

ceatur. At quomodo quis vt poſteà velit aut nolit, efficiat, hoc eſt, vt libera non ſit voluntas humana? Ergo nec de pactis poſt tempus diſſoluendis agere licet, quoniam requiritur hominum liber conſenſus. De rebus autem omnibus voluntati ſubiectis firmus poteſt eſſe contractus. Itaque non tantùm res externas alienari, ſed & homines ipſos alijs ſubditos & ſeruos fieri videmus, & ius etiam illud in ipſam poſteritatem propagari. Viſum eſt enim æquum, vt qui patris dominus eſſet, in filios etiam parem poteſtatem obtineret, quòd hi ſe parentibus, & parentes ſe dominis ſuis deberent. Prima tamen vis animæ libera, qua velit quis aliquid aut nolit, vel à dominis intelligi vel cogi nequit: ſed ad operationes, quæ iam per inſtrumenta corporis manifeſta fiunt, & aliquam vtilitatem adferunt, pœnis propoſitis iure gentium compelli quis poteſt: idq́; eſt quod interdum Apoſtolus inter Chriſtianos neque ſeruos neq; liberos eſſe dicit, & alibi iubet, vt ſerui dominis ſuis diligenter obſequantur: intelligens non in Chriſtianitatem, ſed in multas alias actiones humanas, hominum eiuſmodi diſcrimen venire. Itaq; ſumma liberaq; poteſtas illa voluntatis nūquam tollitur, ſed quamuis illud vellemus, malumus tamen hoc quàm pœnam, in quā

Contractus de futuro conſenſu nullus

Contractus ſeruos facit

dominus poteſtatem habet: propter gentium & ciuium conſenſum, à quibus etiam, ſi ſit opus, ſuppetias ſit habiturus: ita corporis dominus actiones animæ honeſtas & etiam medias excitare vi poteſt. Ad vitia verò nullam quis auctoritatem in alios, ſed in ſe liberam poteſtatem, & propter hanc corruptam naturam, potiùs in deterius vergentem habet: ſi tamen hæc poteſtas, quæ vergit ad vitium, & non potiùs imbecillitas, debet appellari. Certè cum efficiens effecto natura ſimile ſit, & in defectu vitium omne ponatur, eo neceſſarium eſt homines debiles, contrà verò per virtutum robuſtos reddi. Virtus enim diuinum quiddam eſt, & etiam omnis vera poteſtas, quemadmodum paulò antè dicebamus. Per vitium igitur, cùm iſtud inferiora ſuapte natura faciat omnia, quis alteri ſuperior eſſe nequit. Quanquam autem gentium omnium legittimo conſenſu, quibus homines priuati reſiſtere non poſſunt, ſeruitutes introductæ ſunt, & cuique in ſe ſuosq; poteſtas ſit conceſſa, tamen propter libertatem Chriſtianam, hæ ſeruitutes à multis noſtræ religionis gentibus ſunt exploſæ: quorum omnium cauſſas latiùs explicare eſt alterius conſiderationis. Subditi verò quibuſdā pactis ſe quodammodo redigunt etiam in Magiſtratuum & Principum poteſtatem.

Poteſtas nulla legittima ad vitiū.

Sed

Sed Domini imperium longè diuerſiſsimũ eſt ab hoc imperio magiſtratus: hic enim tantùm à vitijs quæ lædunt euidenter Remp. & ad virtutes demum quæ magnum aliquod emolumentum allaturæ ſunt, ille verò ad ſuum commodum & ad res medias cogere poteſt: atque adeo magis liberam habet in ſeruos ſuos poteſtatem. Magiſtratuum enim poteſtas legibus ciuitatis ſeruit, & ob id ſubiecta quoque eſt ipſa ciuium legitimæ voluntati. Ita ciuium reliquorum & magiſtratuum poteſtates & ſeruitutes mutuã ſuam comparationem habent, quæ legum & æquitatis arctiſsimo vinculo continetur: Magiſtratuum tamen poteſtas conſenſu populorum in ciuitate ſuperior eſt, quoniam ipſi quamdiu magiſtratus ſunt, alijs ſecundum leges imperare poſſunt. Verùm quomodo quis ſub alterius poteſtate fiat, & res ſuas pactis transferat, pro inſtituto iam eſt ſatis manifeſtum. Quamuis aũt in aliena nullam auctoritatem obtineamus, æſtimatio tamen, rei nomine intelligi ſolet, cùm ipſam proximè referat, & ſæpe ſit in noſtra poteſtate: & ex his quidem contractuum cauſsis, eorum naturam omnem intelligere quis facilè poteſt. Nihil enim aliud eſſe videntur, quàm propter vtilem aliquem finem voluntatum coniunctiones, de ijs rebus, quæ in arbitrio noſtro ſunt ſitæ:

Imperiũ principis diuerſũ ab imperio Domini.

Aeſtimatio rei locũ ſuppleт.

quas quidem effecta quædam comitantur, quæ non mutantur, niſi à cauſsis, quæ parem in diuerſum poteſtatem habent: quoniam natura comparatum eſt, vt nunquam id quod ſuperius eſt, ab inferiori vincatur.

Voluntatis indicium oratio.

Oportet autem voluntates certis quibuſdam indicijs oſtendi, & earum præcipuum indicium oratio eſt, cuius tamen etiam duplex eſt difficultas, vna quidem in verbis, alia verò in ſenſu. Verba loquendi communis vſus, ſenſum etiam ratio demonſtrat: quòd ſi verò hæc cum verbis non conſentit, & ex adiunctis, antecedentibus & conſequentibus aliquid euidens ſit, quod cum re propoſita conuenire nequit, oratio fuerit in alium ſenſum interpretanda. Ergo non tantùm verba, ſed rationes negotiorũ inquirendæ ſunt, & ita ex omnibus ſignis diligenter inueſtigandum eſt, quæ fuerit in contractibus omnium voluntas.

Oratio interpretanda.

Formulæ iuris.

Vt autem meliùs cognoſceretur, formulæ quædam iuris fuerant olim ad inuentæ, quæ ſi paucæ ſint, euidentes & quàm maximè negotijs quotidianis accommodatæ, varietatem illam litium procreatricem, & communis tranquillitatis perturbatricem, quam vehementiſsimè legiſlatores deteſtãtur, procul excludent, & ijs certiſsimè facilimèque quiuis vtetur. Tametſi verò iure gentium quiſque rerum ſuarum, & orationis liberũ

habeat vſum, hic tamen vtilitatis publicæ cauſſa certis terminis à iure ciuili poteſt definiri. Euidentia ſanè negotiorum in iudicijs magnam auctoritatem habet. Itaque firmiora negotia ſunt, quæ publicè ſunt tranſacta, quæ literarum monimentis ſunt mandata, quæ bonorum virorum teſtimonio, quæque iuramentis ſunt comprobata. Modus etiam dicendi in conſiderationem venit: quædam enim ſic proferuntur, vt potiùs ioco quàm ſerio dicta videantur, quædam etiam violenter extorquētur: at quoniam volūtas cogi nequit, oportet, vt liber ſit omnium conſenſus. Nec verò tantùm oratio, ſed etiam actio ſæpe voluntatem demonſtrat: vt ſi res non tantùm vendita, ſed & tradita ſit, & etiam diutiùs poſſeſſa. Locus etiam multùm afferre ſolet: ſic aliam vim habent hîc aut alibi dicta vel facta, vt in templo, in iudicio, in ſympoſio, ſi ij quorum res agitur abſentes fuerint aut præſentes. Ratio verò maximum vbique momentū habet: nam tunc optimè rem quanq; intelligimus, cùm propriam cauſſam eius ſcimus. Sed cùm veritas potiùs in animis noſtris ſit, quam in oratione, quid ſi verbis aut actionibus tantùm, & non voluntatibus conſentiant? Equidem manifeſtum eſt, ſi conſtet vtrunque contrahentium noluiſſe, nullum eſſe contractum: ſed quid ſi quam-

Negociorum euidentia vtilis.

Voluntas diſſentiens in contractib. ab oratione

quas quidem effecta quædam comitantur, quæ non mutantur, niſi á cauſsis, quæ parem in diuerſum poteſtatem habent: quoniam natura comparatum eſt, vt nunquam id quod ſuperius eſt, ab inferiori vincatur.

Voluntatis indicium oratio.

Oportet autem voluntates certis quibuſdam indicijs oſtendi, & earum præcipuum indicium oratio eſt, cuius tamen etiam duplex eſt difficultas, vna quidem in verbis, alia verò in ſenſu. Verba loquendi communis vſus, ſenſum etiam ratio demonſtrat: quòd ſi verò hæc cum verbis non conſentit, & ex adiunctis, antecedentibus & conſequentibus aliquid euidens ſit, quod cum re propoſita conuenire nequit, oratio fuerit in alium ſenſum interpretanda.

Oratio interpretanda.

Ergo non tantùm verba, ſed rationes negotiorũ inquirendæ ſunt, & ita ex omnibus ſignis diligenter inueſtigandum eſt, quæ fuerit in contractibus omnium voluntas.

Formulæ iuris.

Vt autem meliùs cognoſceretur, formulæ quædam iuris fuerant olim adinuentæ, quæ ſi paucæ ſint, euidentes & quàm maximè negotijs quotidianis accommodatæ, varietatem illam litium procreatricem, & communis tranquillitatis perturbatricem, quam vehementiſsimè legiſlatores deteſtâtur, procul excludent, & ijs certiſsimè facilimèque quiuis vtetur. Tametſi verò iure gentium quiſque rerum ſuarum, & orationis liberũ

habeat vſum, hic tamen vtilitatis publicæ cauſſa certis terminis á iure ciuili poteſt definiri. Euidentia ſanè negotiorum in iudicijs magnam auctoritatem habet. Itaque firmiora negotia ſunt, quæ publicè ſunt tranſacta, quæ literarum monimentis ſunt mandata, quæ bonorum virorum teſtimonio, quæque iuramentis ſunt comprobata. Modus etiam dicendi in conſiderationem venit: quædam enim ſic proferuntur, vt potiùs ioco quàm ſerio dicta videantur, quædam etiam violenter extorquētur: at quoniam volūtas cogi nequit, oportet, vt liber ſit omnium conſenſus. Nec verò tantùm oratio, ſed etiam actio ſæpe voluntatem demonſtrat: vt ſi res non tantùm vendita, ſed & tradita ſit, & etiam diutiùs poſſeſſa. Locus etiam multùm afferre ſolet: ſic aliam vim habent hîc aut alibi dicta vel facta, vt in templo, in iudicio, in ſympoſio, ſi ij quorum res agitur abſentes fuerint aut præſentes. Ratio verò maximum vbique momentū habet: nam tunc optimè rem quanq; intelligimus, cùm propriam cauſſam eius ſcimus. Sed cùm veritas potiùs in animis noſtris ſit, quam in oratione, quid ſi verbis aut actionibus tantùm, & non voluntatibus conſentiant? Equidem manifeſtum eſt, ſi conſtet vtrunque contrahentium noluiſſe, nullum eſſe contractum: ſed quid ſi quam-

Negociorum euidentia vtilis.

Voluntas diſſentiens in contractib. ab oratione

 uis

uis antea noluerit, iam tamen alter velit? At oratio nullius efficaciæ fuerit ſine voluntate: quod ſi voluiſſe ſe dixerit, alterum & etiam iudicem defraudarit: vnius autem voluntatis contractus vllus vnquã eſſe nequit: ne tamen aliqua fraudi detur occaſio potior eius erit cauſſa, cuius oratio cum voluntate conſentit, niſi alter iuſtam ſuam ignorationem, euidenter demonſtrarit.

Pacta tacita. Quædam autem tacita quodammodo pacta ſunt: ita qui ſanguine maximè coniuncti ſunt, voluntatibus etiam putantur optimè conuenire: & hinc eſt, quòd ad proximos ius defunctorum tranſeat, niſi fuerint aliæ voluntates legitimè ſignificatæ; ſic etiam qui diutius alterum rebus ſuis vti patitur, in dominij tranſlationem conſentire videtur. Intereſt etiam Reip. ne bona priuatorum maneant ignota. Quanquam autem à gentium iure pacta ſuam præcipuam obtineant auctoritatem, eo tamen non ſingulis tantùm hominibus eſt conceſſum, vt ex arbitrio ſuo rebus ſuis vtantur, ſed etiam multis hominibus, in vnam vitæ ſocietatẽ congregatis, data poteſtas eſt, qua ſtatuant in communes ſuos vſus, quæ ciuium omnium aut plurimorum opinioni, rationi naturæq; conſentanea videntur: & hinc omnis vis Iuris ciuilis eſt, cui quidẽ neceſſariũ eſt priuatos omnes ſuas voluntates accommodare.

modare. Quapropter, vt inquit Iuriſcon. quod conditor legis ſtatuit, etiã contrahentes tacitè voluiſſe & feciſſe finguntur. Ius igitur ciuile ijs pactis, quæ neceſſaria ſunt ad vſum vitæ communis, venditionibus, locationibus, & alijs eiuſdem conditionis, auctoritatem ſuam adiungit, qua, ſi nolimus, cogimur exequi quicquid ritè polliciti ſumus: eam autem auctoritatem obligatio ſola naturalis non habet. Ita quanquam ex iuſtis pactis omnibus obligationes fiant, quibus tanquam vinculis quibuſdam conficiendi promiſsi teneamur, quoniam tamen voluntates ſunt inconſtantes, & varium etiam in hominibus cogendi reſiſtendiq; robur, vtilitatis publicæ cauſſa Legũ etiam ciuilium poteſtas acceſsit, qua, qui pactum vult haberi ratum, adiutus, vel inuitum aduerſarium per iudicium in ſuam ſententiam trahat: eam ab eius operatione actionem appellant, quam definiunt etiam Iuriſconſ. ius, debitum in iudicio perſequendi. Inſtrumentum autem legitimarum actionum eſt obligatio, quo voluntas alicuius, à publica iam corroborata, iuſtum contractum ad exitum ſuum perducat. Si verò à primis ad vltima velimus ordine progredi, poteſtas animorum noſtrorum ſummũ locum tenet: ſecundum autem habet eorum in vnam voluntatem coniunctio: tertium

Contractus à iure ciuili vim habent.

Actio iudicialis.

tium huic adiuncta voluntas legiſlatoris obtinet locum, quæ iam ex pacto contractum facit, & efficacem actionem parit: poſtea iudicium publicum eſt, & tandem horum omnium effectum vltimum, in quod ſcilicet inter ſe, qui contraxerunt, putãtur conſenſiſſe. Verùm quoniam illa prima vis animorum, cui leges etiam ſeruiunt, eſt libera, quę ſe non tantùm in voluntatem, ſed in materiam, in executionem & effectum extendat, quamdiu poteſtas tantùm eſt, eiuſdem etiam conditionis eſt voluntas legiſlatoris, vis ſcilicet & ius agendi, qua, ſi velit, quis vti poſsit. Cùm autem poteſtas animorum exit in voluntatem euidentem, cum hac etiam efficax voluntas legum coniungitur, & ſimiliter poteſtas agendi tranſit in certam operationis iudicialis formã, quam per auctoritatem publicam effectus vltimus pactorum ſequatur: ſed hoc loco non ſunt hæc latiùs explicanda. Quoniam verò contraria ſemper à ſuis contrarijs tolluntur, manifeſtum eſt, quòd contractus ſtatim diſſoluitur, ſi vel finis, bonum ſcilicet, vel efficiens humana voluntas ritè in diuerſum mutetur. Voluntas autem oportet vt in diſſoluendis pactis rurſus ſit vtriuſque, & vt res etiam adhuc ſit in eorum poteſtate: quod ſi contigerit, poſterior contractus priorem tollit. Alioqui verò quod

Pactorũ diſſolutio.

eſt

eſt rectè coniunctum diſtrahi nequit: nam eorum qui contraxerunt & etiam gentium eſt vna facta voluntas, non duæ tam malè coniunctæ, quæ ab altero paciſcentium ſubitò diſtrahantur. Vnam autem eiuſmodi voluntatem, vnus effectus quoque comitatur eius rei, quæ fuerat illi ſubiecta. Sed, ſi rectè perpendamus, vt præterita facta non ſint, vllo modo fieri nequit, quanquam nouum quippiam diſsimile vel contrariũ fieri poteſt: vt ſi vendat emptor rurſus eandẽ rem venditori, & ideò non tam id diſſolutio prioris, quàm nouus contractus meritò videatur, qui tamen prioris effectum tollat & nouum effectum introducat. Verùm harum rerum tractatio potiùs Iuriſconſultis eſt relinquenda.

De Supplicijs. CAPVT IX.

CVM verò Magiſtratus non tantùm in his quæ iam diximus, ſed etiam in ſupplicijs inferendis verſentur, & hæc iuſtitiæ pars plurimùm ad incolumitatem Reip. conducat, nunc eam paucis explicemus. Non autem ſatis eſt ſcire, quomodo virtutes ſequamur, ſed oportet, vt etiam intelligamus quo pacto vitia coërcere debeamus; differẽtiæ verò ſuppliciorũ, ex ijs quæ priùs de peccato

rum

rum gradibus tradidimus, facilè poterunt inueniri. Iuſtitia nempe, vult vbiq;, quoad fieri poteſt, vtilitatem damno paribus menſuris omnino compenſari. Conſiderandum itaque quale detrimentum per delictum alterius perpeſſus aliquis ſit, quod debeat commodo quopiam reſarciri. Conſiderandum etiam quid incõmodi perpeſſa Reſp. ſit, & id quoque, ſi fieri poteſt, pari bono fuerit reſtaurandum. Sæpè verò reſtaurari nequit: & tum morte perſolui ſolet, quæ dum alios ciues exemplo meliores facit, Remp. vniuerſam non mediocriter iuuat. Nam dum idem qui præbuit peccandi, præbet etiam exemplum ſatisfaciendi, eo ipſo frequenter tam vehementer futuram tranquillitatem promouet, quam præteritam præſentemque perturbarit. Si verò non intulerit incommodum alicuius momenti, præſtat leuiſsimum quempiam morbum perferre, quam corporis partem interire, niſi quatenus ab vna in alias ſerpere poteſt. Ergo damnum præſens & futurum perpendendum eſt, & quantum in nobis eſt, totum fuerit alijs bonis reſtituendum. Sic enim hîc etiam Arithmetica proportio ſeruabitur, qua hæc quoque iuſtitiæ pars non mediocriter delectatur. Quod ſi verò certum ſit eius vitam qui peccauit, quam mortem, Reip. plus eſſe profuturam, conſtat

ſemper

ſemper maius bonum, & minus eſſe malũ à nobis eligendum. Singuli legiſlatores ſuæ Reip. felicitatem ſibi proponunt, & multa magno iudici relinquunt, qui etiam de minimis quibuſque certam ſententiam feret, nec aliquid illi obſtabit, quo minùs ſecundum ſententiam latam omnia fiant: cũ ibi cuncta ſint inter ſe conſentanea, & inuictã æquitatẽ Dei felicitatemq; communem pariter ſpectent. In noſtris verò rebus ſæpe contraria incidunt: veluti ſi quis & proditor fuerit, & conſeruator ſit futurus ciuitatis. Tunc autem magiſtratus & præſentem & futuram ſequitur vtilitatem, præteritorumque cauſſam ſuperiori iudici integram ſeruat, cuius Reſp. ſceleratorum opem non requirit. Sic igitur damnum illatum vtilitate pari compenſatur. Sed quoniam exactiſſimæ dimenſiones difficillimè poſsint ſemper obſeruari, rectè monent, vt ſupplicia potiùs cum clementia, quàm cum acerbitate, ſint coniuncta: illa vero, ſi negocia legibus apertè compræhenſa non ſint, magis ad lenitatem inclinat. Oportet autem vt homines, imbecillitatis humanæ conſcij, ad hanc potiùs, quam ad rigidam illam ſeueritatem ſint propenſi: nam hæc ad crudelitatem ſæpiùs accedit, quæ quidem tam contra naturam humanam eſt, vt etiam crudeliſsimi tyranni ſint eam in alijs vehementiſsimè

Supplicia cum clementia.

tiſsimè deteſtati. Sed tamen, qui ſecundum leges iudicare coguntur, cùm iuris miniſtri ſint, ab earum iuſſu diſcedere minimè debent: & etiam iudices legibus ſuperiores, qui legum nouarum ac etiam priuilegiorum poteſtatem habent, ipſi nihilominus

Aequitas inuicta. ſub æquitatis imperio ſunt, cuius tam inuictæ ſunt vires, vt quiſque, quicunque ſit, tantò magis ei ſubijciatur, quantò magis eam violare putatur. De legibus violatis aliæ ſuperiores ſunt, & etiam ſi quis omnes violare poſsit, ſummi tamen legiſlatoris inuictum iudicium nunquam euitabit, quo reliquorum omnium iudicia ſuis præmijs atque ſupplicijs exactiſsimè compenſabun

l. 5. de Rep. tur. Itaque iudex & in his & in alijs omnibus publicam ſemper felicitatem, non priuatam aliquam vtilitatem, ſpectabit. Qui verò ſcelera negligit, dum peccandi licentiam præbet, non tantùm Remp. ſed etiam ipſos ſceleratos grauiter lędere videtur. Itaque rectè ſcriptum eſt etiam apud Platonem, perſuaderi debere, meliùs eſſe, non ciuitati tantùm, ſed etiam ijs qui peccarunt, vt vel moriantur, vel alioqui caſtigentur, quam vt impunita peccata relinquantur. Ergo noſtra vehementer intereſt, vt ſecundum æquitatem & felicitatem communem etiam de peccatis commiſsis exactiſsimè iuditia fiant: intereſt etiam vehementer, vt

rebus

rebus bene iudicatis ſemper obtẽperetur. Sed an corruptis iudicijs parendũ ſit, hoc loco quæri poteſt. Certè Socrates, qui Apollinis iudicio Græcorum ſapientiſsimus fuit, quanquam iniquiſsimè condemnatus eſſet, ſibi potiùs moriendum, quàm iudiciũ publicum violandum putabat. intereſſe nempe Reip. iudicabat, magiſtratibus, tametſi non optimis, imò etiam interdum malis, quemuis temere non reluctari: quãuis cùm id diceret, potiùs alterius vitæ deſiderio, quàm Athenienſis Reip. cura teneri videbatur: nam citra maiorem aliquam Reip. ſuę perturbationem vitam ſuam amicis & bonis omnibus facilè conſeruaſſet, alioqui ſatiùs eſt, iniuſtè quem mori, quàm ciuitatem in diſcrimen vocari: æquum eſt enim, vt quis è vita diſcedere, quàm eius deſiderio ſalutem ciuium euerti malit. Quòd autem iuſtitia violari nolit vnquam, ab eo diſcere poſſumus, quem in omnibus nobis magiſtrũ ſumere debemus: videmus enim Deum ipſum apertè voluiſſe, vt nullum crimen vnquam ſit impunitum. Nam tametſi piè flagitantibus hominibus immenſum culpæ ſuæ debitum ſupplicium condonet, ſtatuit tamen, vt vnus qui ſatisfacere poſſet, pro ijs qui ſoluendo non erant, perſolueret, & ita ruinam immenſam humani generis, per immenſam gratiam quidem, ſed

Iudicijs corruptis an parendum.

Plat. in Crito. in Phœd.

O cum

cum pari iuſtitia coniunctam repararet: vt cùm vnus hanc vtranque pariter contineret, is ſua iuſtitia noſtram iniuſtitiam, miſericordiaq; meritas pœnas à nobis auferret, iniuſta ſua morte nos à iuſtiſsima morte liberaret, ac pro ſummis meritis cum bonis in felici illa Rep. perpetuò regnaret. Ita pulcrè factum eſt, vt nos Deo deberemus, non tantùm quòd homines eſſemus, ſed etiam quòd eſſemus hoc nouo beneficentiæ genere liberati: & ſic eſt inuicta iuſtitiæ diuinæ ratio exactè ſeruata. Quamuis autem in puniendis delictis leuiores, quam oportet eſſe, minimè debemus, quoniam tamen hîc vtilitatem publicam ſpectamus, ſi quæ peccata ſint, quæ vel neglecta, vel leuius punita videantur eam non eſſe læſura, diuino iudicio, veluti iam dicebamus, relinqui poſſunt, ab eo præſertim, qui vt legibus ſuperior eſt, ita magis liberam poteſtatem habet: at nec is vnquam tamen morbos aliquos magnos, aut eorum occaſiones aliquas in Remp. inualeſcere ſinat. Cùm enim qui magiſtratum gerit, ſit tanquam Medicus Reip. ab eo curandum eſt, vt morbis etiam impendentibus diligentiſsimè reſiſtatur, & pręſentes omnes amaro pharmaco tollantur, ſiquidem dulci curari non poſſunt, corruptæ verò partes & inſanabiles, vt radicitùs exſcindantur: tum quòd inutiles

Magiſtratus Reipub. Medic9.

ſunt

ſunt & à vitali totius corporis ſpiritu ſeiunctæ, tum quòd peſtilentiſsima contagione promptiſsimè ceteras inquinent. Ijs autem quæ ſanari poſſunt medicamentum admouendum eſt, quòd ſalutem tutiſsimã & optimam affectæ parti & vniuerſo corpori adferat. Si quæ verò eſſet Reſp. tam incorrupta, in qua peccata leuia, cùm non admodum eſſent multa, puniri poſſent, hęc eo ipſo profectò ſemper incorruptiſsima maneret. Leues enim vitiorum occaſiones hoc pacto de medio tollerentur, quibus ſublatis maiores prouenire non ſolent. Quanquam legiſlator ſcelera tantùm perpendit, quatenus ad ipſam Rempub. extenduntur, tamen ex occultis manifeſta & è priuatis publica proueniunt, & vel ſola voluntas, modò per ſigna ſua declarata ſit, apertè Remp. exemplo ſuo lædit. Itaque lex homicidij, etiam contra eos poſita fuit, qui hominis occidendi cauſſa cum gladio fuiſſent: quoniam intereſt Reip. vt etiam ciuium voluntates ſint incorruptæ: quas tamẽ oportet externis quibuſdam inditijs oſtendi. Tametſi verò Remp. lædere non videantur minima quæque, præſertim ſi priuata ſint, tamen multa parua magna tandem fieri ſolent in vnum coniuncta, ſingula continuatione ſuum incrementum ſumunt, & priuata ſeſe in totas Reſp. effundunt, dum

vnius vitium tota familia, & vna familia aliam imitatur. Minora verò peccata qui caſtigabant apud Romanos, cenſores appellabantur, qui non ſecundum certas leges, ſed vtilitatem potiùs communem, legibus ſcriptis non comprehenſam, iudicabant. Non enim omnia, quæ quidē infinita ſunt, poſſunt etiam à ſapientiſsimis legiſlatoribus vnquam definiri: verùm illi tantum ignominiæ pœnam inferre ſolebant, pro grauioribus autem ſceleribus iudices & lictores capitalem. Cùm autem Reipub. cauſſa pœnas ſcelerati luant, id etiam in ſupplicijs inferendis ſeruandum eſt, vt ea crimina quę maximè graſſantur in Remp. quanquam leuiora fuerint, acerbius tamen puniantur. De ijs autem ſceleribus, quibus ciuitas nō laborat, tametſi ſua natura magis pernicioſa ſint, non ſolent admodum eſſe ſolicitæ leges. Itaque legimus Romulum nullum ſupplicium parricidis ſcripſiſſe, quòd tam nefarios homines arbitraretur in ſua Rep. non eſſe futuros. Furtum aliquando dupli vel quadrupli compenſatione diſſoluebatur, nunc autem, quoniam vſitatius eſſe cœpit, factum eſt capitale: non quòd cum pecunia vita comparetur, ſed quòd ſatius ſit malos interfici, quàm vniuerſam Rempub. perturbari. Itaque fures, reliquique ſcelerati, ciuitati, non priuatis hominibus pœnas

Cenſores.

Plat. in prot.

Plat. in Gor.

Frequentiora pec cata acerbius punienda.

nas ſoluunt: ſed tamen æquum fuerit, vt ijs qui læſi ſunt etiam ſua damna reſtaurentur. Quanquam enim omnia Reſp. ſibi vendicare poteſt, ſi quàm optimè tamen inſtituta eſt, miſeros ciues ſemper conſolari ſolet. Itaq; iuſtitia poſtulat, vt ij qui grauiora ſcelera commiſerunt, Reip. primum ſatisfaciant, & vt deinceps etiam, ſi fieri poteſt, illis ſatisfiat, qui detrimentum ſunt perpeſsi: ſi tamen ipſi nullum damnum cõmeruerunt: ſæpe namque præbere ſolent aliquas peccandi occaſiones. Idcirco Lycurgus, quia ciuium negligentia multos fures alit, nullã furti pœnam conſtituerat, & multis in locis non tantùm fures capite, ſed & ij quibus aliquid ablatum eſt, iactura ſurreptorum bonorum puniuntur. Sed peccata quæ non tantum periculum afferunt, capitalia non habentur: quòd ſatius ſit ea vel aliter caſtigari, vel interdum etiam omnino diſsimulari. In eo verò fermè vis omnis huius æquitatis eſt, vt qui damnum Reip. attulit, ad eius cõpenſationem, afferre cogatur quantam poteſt vtilitatem, & qui partem vnam legis violauit, ſatisfaciat alteri: qui fecerit aduerſus interdictum hoc, hominem non occides, cogatur etiam perferre quod reliqua legis pars iubet: nempe qua cautum eſt, vt qui interfecerit aliquem, etiam ipſe moriatur. Vt autem exactè rationem om-

Supplicij menſurandi ratio. nem inferendæ pœnæ cognoſcamus, operæpretium eſt, tam ſupplicium, quàm delictum, viciſsim in eadem lance cum vtilitate Reip. trutinare: quod enim cum emolumento magis aut cum detrimento communi coniunctum minus ponderis habet, id ipſum eſt in legibus introducendis ſemper à gubernatoribus ciuitatum eligendũ. Itaque diligenter conſiderandum, quid vtilitatis aut incommodi ex ſupplicijs aut criminibus in Rempub. redundet, vt id fiat quod maius bonum ſecum affert, aut ſi malum omnino vitari nequit, admittatur potius id quod eſt minus: nam hoc maioris mali comparatione boni ſpeciẽ præ ſe ferre videtur. Si ciues omnes incorrupti ſemper eſſent, ſupplicijs inferendis iuſtitia nunquam eſſet occupata: nunquam mœſto vultu cerneretur, ſed continuò præmijs reddendis vacaret. Nunc hominum ſcelus in duas partes eius officium diuiſit, & etiam coëgit eam potiùs in acerbiori verſari: Iuſtitia ſemper eſt eadẽ. non quòd ipſa vnquam ſui diſsimilis ſit, ſed quòd ex effectis eius conſiderationem nobis proponamus, quæ tametſi cauſſa ſit eadem, propter ſubiectam materiam ſunt diuerſa. Tam enim malis hominibus ſupplicia, quàm illis qui bene de Rep. meriti ſunt, præmia conueniunt, & in ea factorũ exacta dimenſione & compenſatione to-

tum

tum æquitatis officium eſt ſitum. Ita fit, quoniam facta ſuam menſuram, & illi par vel præmium vel ſupplicium habent adiunctum, vt vbiq; iuſtitia ſuum habeat locum. Peccatum quidem, vt videtur, legem diſſoluit, imò potius eſt diſſolutio quædam legis ab humana voluntate: ſed hæc eſt iterum alterius confirmatio legis, & qui contemnit primã, ſe magis ſubijcit ſecundæ. Oportet igitur, vt leges & earum miniſtri, in cõpenſandis ciuium factis, ijs præcipuè quæ ad Remp. maximè pertinent, totis conatibus occupentur, & omnia ſemper referant ad virtutem, & totius Reip. felicitatem. Oportet vt in his, tum in alijs omnibus diligenter conſiderent, quid vniuerſæ Reip. quid ſingulis hominibus & quibus potius conducat, atque etiam, quid, & quo pacto commodiſsimè fieri poſsit. Quædam autem tam difficilia tamque periculoſa ſunt, vt tanquam in eorum numero quæ fieri nequeunt, poſsint haberi. Boni quidem gubernatores ad propoſitum portum, quẽ ſuis negotijs aptiſsimum elegerunt, dirigunt omnem nauigationem: ſed quid ſi cõtraria tempeſtas ingruat, nunquid conſultius fuerit vela ventis accommodare, & proximum aliquod tutiſsimumq; refugium eligere, quàm dum pergere conantur principes aduerſus inſuperabilem proui-

Peccatũ quid.

Peccata ſæpe puniri nequeunt.

dentiam Dei, perdere ſe pariter & totas ciuitates. Ergo conſiderandum quàm commodè quodque fieri poſsit, & quoniam vitia varia ſunt, multis etiam remedijs eſt opus. Nam in hominibus, in temporibus, in locis eſt magnum diſcrimen, nec in omnibus ijſdem pharmacis vti licet: interdum chalaſticis & acopis opus eſt, interdum vinculis, cauterijs & ferro, quidam etiam morbi curationem nullam admittunt: qui ſi ſint in quibuſdam, & non neceſſarijs partibus, exſcindi quidem poſſunt: ſed quid ſi ſint in toto corpore, quid ſi in partibus, ſine quibus ciuitas incolumis eſſe nequit, quid ſi in alijs, ſed quæ non poſſunt, ſine noxa partium præcipuarum irritari? Multos legimus in antiquis Rebuſp. malos fuiſſe ciues, quos ſatius fuiſſet ferre quàm prouocare. Sanè multa in ſingulis veniunt ciuitatibus diligenter animaduertenda: nam etiam minima quæque ſæpe præbent occaſiones maximorum, & tamen interdum vix maxima curari volunt. Sed de his iam ſatis. nam quanquam præmia natura pœnis ſint priora, ex virtutum dignitate, quam antea tradidi, facilè poſſunt cognoſci, nec tam in vſu noſtris temporibus ſunt, vt exactam explicationem requirant.

Præmiorum ratio ex ſupplicijs poteſt cognoſci

De Liberalitate. CAP. X.

Quonia

QVONIAM autem aliquid eſt quod non oporteat, etiamſi per leges liceat, ac in eo fermè genere liberalitas eſt & amicitia, & quia plurimum conferunt hæ duæ virtutes ad felicitatem communem, de ijs hoc loco quędam tradenda videntur. Licere dico quæcunq; legibus non ſunt interdicta, hoc eſt, quæ manifeſtè Remp. non lædunt: at ſunt præter hæc alia multa, quæ nos facere vel omittere non decet. Decorum enim in vita latiſsimè patet, nec totum poteſt legibus comprehendi, & tamen vult ab omnibus diligenter obſeruari. Quomodo verò liberalitate ſit & amicitia ſeruandum, quæ duæ virtutes cum iuſtitia ſunt vehementer coniunctæ, iam paucis oſtendemus: quanquam ex ijs etiã quæ priùs diximus intelligi poſſit: ac à liberalitate initium ſumemus, quoniam latiùs quàm amicitia, vires ſuas extendit: non enim tantùm in amicos, ſed etiam in alios liberales eſſe debemus. Videtur autem ſic appellata liberalitas, quòd libero homine digna ſit, & quòd liberum animũ requirat: alios enim alacriter noſtris bonis iuuari decet: ne potiùs aliquam ob cauſſam extorta munera, quàm liberè data, videantur. Eſt igitur liberalitas virtus, qua nos promptè citra compenſationis ſpem alios bonis noſtris iuuamus. Hæc meritò apud

Licet aliquid quod nõ oportet.

Ariſt. l. 4. cap. 1. Eth.

omnes in ſummo pretio ſemper fuit: tum quòd ſit multis hominibus vtilis, tum etiam quòd beneficum animum ſignificat, & humanarum rerum contemptorem. Eſt autem, vt & reliquæ virtutes, in medio quodam, nimirum inter prodigalitatem & auaritiam collocata: quæ fuerit etiam circumſtantiarum ſuarum modo ponderanda. Quod enim in alijs liberalitas, in alijs prodigalitas aut auaritia dicetur: nam minimus exceſſus pauperes prodigales, defectus autem minimus diuites auaros facit. Deinde negotia quædam, & his potiùs quam alijs temporibus & locis, maiores minoresúe ſumptus requirunt. Quanquam verò liberalitas vtrinque vitium ſuum habet, tamen auaritia, quæ in dando deficit, in accipiendo modum excedit multis modis deterior habetur: nam etiam prætér cetera mala, hoc non exiguum eſt, quòd ipſa cum ætate continuò creſcit. Diſcunt quotidianis experimentis homines, quàm vtiles pecuniæ ſint, quamque difficilè comparentur: prodigi verò, cùm indies multas pecunias effundant & accipiant paucas, conſumptis omnibus aut plurimis remedium habent: ſed tamen vtrunque vitium, quatenus fieri poteſt, diligenter in Rep. debet impediri, & tã alienatio patrimoniorum, quàm nimia bonorum conſeruatio prohiberi; quod vtrunque

Liberalitas in medio. Ariſt. l. 2. c. 7. Eth.

Auaritia deterior prodigalitate.

que

que ab antiquis bene formatis Rebuſpub. nonnunquam factum eſſe videmus. Auari cogendi ſunt, vt pecunias ſuas nimias in vſum aliquem exponant, quoniam in Rep. nihil ociosum & inutile eſſe debet: ad expenſas omnibus modis ſunt prouocandi, quemadmodum prius etiam diximus: quia cum nummis ipſa cupiditas continuò creſcit: ad animi magnitudinem inuitandi ſunt, qua ſe quis meritò magni facit, & debitos honores expoſcit, pro quibus, vt inquit Aristoteles, cùm diuinum quippiam ſint, & Dijs immortalibus debeantur, non pecunias tantùm, ſed res omnes humanas meritò quis contemnat. Honor etiam magnificentiam prouocat, quę ſumptus tales facit, quales magnos viros facere decet. Sed hoc loco de liberalitate plura nõ adiungemus: nam poſtea de officio diuitum erga pauperes nonnulla dicemus, quæ poterunt etiam huc transferri.

l.4.c.3. Eth.

Honor magnificentiam parit.

De Amicitia & Amore. CAP. XI.

QVONIAM autem non ad ſolitudinem, ſed ad ſocietatem facti ſumus, inter alia quæ conferunt ad ſenſum felicitatis, præcipuum quendam locum habet voluntatum ſimilium, hoc eſt bonarum, coniunctio,

quam

quam amicitiam appellamus: nam cum veris amicis, quibus nihil pretioſius profert natura, & etiam amicorum bonis omnibus tanquam rebus noſtris fruamur, non poſſunt, in calamitatibus, quibus varijs obnoxij ſumus, non ſummum adferre lenimentum, non poſſunt in reb. proſperis ad augmentum felicitatis plurimùm non conferre. Cùm autem amicitia dicatur ab amore, de hoc, vt illius naturam meliùs intelligamus, priùs dicturi ſumus: qui certè plurimùm etiam ad ſocietatem generis humani poteſt. Quanquam verò multa ſint à Poëtis & Philoſophis tradita, plurimaque ſint etiam ab illis prætermiſſa, nos, ne longiores ſimus, hac de re quid ſentiamus, paucis exponemus: ex quibus etiam cognoſcemus, quales ſint definitiones hactenus traditæ, quibus amorem deſiderium boni vel pulcri eſſe volunt: cùm tamen deſiderium abſentium, amor præſentium ſit, & hic tantum in rationali natura, illud autem in alijs quoq; multis eſſe videatur, multaque bona ſint, quæ tametſi deſiderentur, non tamen amentur. Vt autem à ſuis principijs rem ipſam accerſamus, iam conſtat, id, quod omnia ſibi proponunt, tanquam finem, ad quem rectà contendunt, bonum appellari. At oportet ea quieſcere, priuſquam eò vergant, & aliqua mutatione inſtituere motū ſuum

Ariſt. l. 8. & 9. Eth.

Amoris definitio

Ariſt. l. 8. & 9. eth.

Plo. l. de amo.

ſuum

ſuum ad bonum, ea verò mutatio, qua res inclinant verſus bonum, quomodo ſit appellanda non refert, quantum ad præſentē conſiderationem: ſed conſtat illi obnoxiā eſſe totam hanc omnium rerum naturam. Nam & ignis cœli ſocietatem quærit, & ferrum magneti ſe coniungit, & ſcammoniū bilem allicit: rurſus vitem braſsica, cucumis oleam vitat: & hæc in animantibus manifeſtiora ſunt, quam vt orationem noſtrā requirant: in quibus iam hic motus ad bonum appetentia vocatur. Cùm autem res expetendæ variæ ſint, animi corporis, & externæ, inter externas multum eſt diſcrimē: nam & ſuauibus contactibus, & delicatis ſaporibus, & rebus odoratis delectamur, quorum tamen amore propriè teneri non dicemur: ſed eorum potiùs, quę oculis percipiuntur: & ob id à videndo Græcis amor dictus eſſe videtur. Amor enim non cuiuſuis boni, ſed pulcri tantum eſt: pulcrum autem in oculis maximè verſatur. Itaq; & lucem Solis pulcram eſſe dicimus, & auri colore delectamur, & maximè formam elegantem rerum admiramur, præcipuè ſi grato quoque colore fuerit exornata. Orationis quoque ſoniq́ue ſymphonia & rythmus, à partium decenti compoſitione, in qua formæ vis eluceſcit, pulcritudinis nomen habet. Similiter motus corporum

Plo.l.de amo.

Plo.l.de pul.

Pulcrū pręcipuè ex commenſuratione & colore.

Plo.l.de pul.

rum oculis percipitur: qui pulcer etiam appellatur, ſi partes eius decenter in vnum componantur. Quanquã autem hæc, quæ iam diximus, pluribus ſenſibus cognoſcantur: nam & tactu formam, motum, & ſymmetriam percipimus, in oculis tamen potiùs eſt eorum vera pulcritudo, à quibus etiam ad aures transfertur. Iam oculorum noſtrorum cum mente noſtra, cumq; mente voluntatis quoque magnus eſt conſenſus. Sic & veritatem & virtutem pulcram appellare ſolemus: quod natiuus eius tanquã color ſuapte natura ſit ſpecioſus, & gratus oculis animorum, & quod partium etiam decentiſsima quadã analogia conſtet, quæ non poteſt vehementiſsimè non placere.

Oculorũ conſenſus cum mente.

Plo. l. de pul.

Omnis autem hæc pulcritudo ex ipſa formã rerum in corporaturam, & in oculos mentemque efflóreſcit. Itaque pulcros etiam formoſos appellare ſolemus, potiùs à ſymmetria partium, quàm à colore: quòd illa maximè formam exteriorem continere & exterior interiorem exprimere videatur. Nihilominus etiam ab eadem interna forma color effunditur, veluti lux ab igne vel à Sole, & in vtriſq; pulcri ſpecies conſiſtit. Manifeſtum eſt autem Phyſicis ex forma quapiam materiaq; cuncta componi, materiamque, ſuapte natura malam & turpẽ, decore formarũ exornari, pulcritudinem-

que

que eius totam formæ deberi. Ita videmus informem luti maſſam eſſe quidem ſuapte natura turpem, formam autem Veneris aut Dianæ, quam ſummus aliquis artifex mente concepit, pulcram proculdubio meritò cenſeri. Ad eius verò formæ ſimilitudinem dum manum artifex ipſe ducit, rudem materiam fingit, quæ continuò tandem externam quandam ideæ ſimilitudinem, atque adeo pulcritudinem acquirit. Conſtat etiam mentem id ipſum quod agit quodammodo fieri, & in eius quod concipit, veluti ſpeciem ipſam mutari. Quoniam igitur liberæ ſunt cogitationes animorum noſtrorum, quod ſi fingamus, quemadmodum etiam paulò ante fecimus, formam, quæ eſt in artificis mente, atq; adeo mentem eius, iam in ipſa ſtatuæ materia verſari, nunquid etiam eius interna cuncta deliniabit ad ſuam ſimilitudinem, quatenus id impedimenta materiæ patiuntur, & viuum ſui vigorem per totam eius corporaturam effundet: inde verò proueniet cum totius formæ venuſtate, color etiam ſpecioſus. Hoc certè in naturalibus omnibus accidere conſtat, vt ſcilicet habeant omnem ſuum à formis ſuis ornatum, & in eo vis pulcritudinis eſt, ſi materia formæ ſuæ quam maximam ſimilitudinem oculis perceptam acquirat. Si verò præſentia formæ pulcra materia ſit,

nunquid formam ipſam quoq;, quæ mentē percipitur, meritò pulcram eſſe dicemus. Verùm nominum impoſitores ſenſilia potiùs conſiderarunt, & ſapientiores eorum ſignificationem deinceps ad inſenſilia tranſtulerunt. In his igitur quæ mentis & corporis oculis percipiuntur, pulcritudinis vis eſt ſita: quæ quod minùs late, quam bonū ipſum, pateat, ſatis eſt manifeſtum: nam & quæ reliquis ſenſibus percipiuntur, bona, non autem pulcra, propriè nominantur. At amorem pulcri eſſe iudicamus: & eum etiam in ijs tantùm, quæ pulcri cognitionem habent, conſtituendum eſſe putamus: vnde cognoſci poteſt, eos, qui pulcri ſcientiam facilimam habent, ad amores eſſe maximè propenſos. Quamuis autem & animantia reliqua pulcri quandam habeant cognitionem, in hominibus tamen omnia proculdubio ſunt euidentiora, & tam ſpecioſum nomen amoris non niſi rebus inſignibus tribui debet. Erit igitur amor energia, vel motus, vel affectus quidam animorum noſtrorum, quem pulcri cognitio profert. Verùm cùm pulcrum multiplex ſit, quò certam definitionem habeamus, circa quodnam pulcrum amor maximè verſetur, conſideremus. Quoniam autem in natura rationali amorem conſtituimus, maximè verſabitur circa pulcrum, quod eſt in natura

Pla. l. de pul.

Pulcritudo eſt in oculis & mente.

Amor et deſiderium pulcri in eo quod pulcri cogni tionem habet.

Amor non eſt deſiderium cuiuſuis pulcri.

tura rationali. Itaque diuitiarum, ſtatuarũ, equorum, canum, non eſt verus amor: quãquam etiam hæc habeant, quæ poſsint oculis placere: ſed hominum potius, angelorum, & præcipuè quidem Dei. Nam homo inter corporea ſummam pulcritudinem obtinuit, & Deus omnis pulcritudinis fons eſt & origo. Reliqua tamen amari poſſunt, quatenus humanam naturam exornant. Ita veſtes, equos, atque canes, propter eos quibus ſeruiunt, amare quoque ſolemus. Pulcritudinem autem primùm nos in corporibus conſtituimus, quam nominis impoſitores potiùs conſiderarunt, & eandem inde ſapientiores, vti diximus, ad animum tranſtulerunt: in quo quod tantò præſtantior ſit, quantò corporaturam is antecedit, eſt manifeſtum. Quæ verò ſumunt ab alijs ſuam appellationem ſæpe maiorem dignitatem tenent: nam etiam Deo rerum factarum ſimilitudinem & appellationem tribui videmus, cum quibus eius dignitas nullam comparationem admittit. In hominibus igitur formam corporis cum ſuis coloribus & externis ornamentis amamus, non tamen ſolam, ſed animorum gratijs affluentem, ſine quibus inſtar ſtatuæ, vel cadaueris haberi debet, cuius homo ſanæ mẽtis capietur amore. At corpus decenti partium omnium analogia compoſitum, viuisque

Plo. l. de amic.

Pulcritudinis nomen primo corporibus impoſitum eſt.

Plo. l. de pul. c. 4.

Pulcritudinis nomen à corporeis ad incorporea trãsfertur.

uiſque ſuis coloribus depictum, omnibus etiam externis ornamentis dotatū, in quo ſit animus omni virtute, ſapientiaque prædıtus, & geſtus omnes atque ſermones ad viuum ſecundum ipſam perfectam venuſtatem expreſsi, per ſpeciem ſuam efficacíſsimam nos afficit, in quo quidem eſt amor, & ad ſe firmiſsimo quodam amoris vinculo trahit, in quo deſiderium, quod ſequitur amorem, collocamus. Eo primo cuncta quam optima cupimus illi quem amamus, eo deinde nos ab eo viciſsim amari, pulcroſque iudicari cupimus: eo cupimus nos etiam pulcri quam maxima diutiſsimaque præſentia frui. Verùm deſideria potiùs abſentium ſunt, amor autem eius quod iam afficit eſſe videtur. Afficit tamen etiam pulcrum eius quod abeſt: quatenus ſcilicet ſpecies eius in animis noſtris verſatur: & ita quoque abſentes & mortuos amore proſequi ſolemus. Quoniam autem bonum illud, quod pulcrum appellamus, & illud pulcrum, quod in natura rationali percipimus, ab ipſaque forma interna, quā animam appellant, in reliquam corporaturam effloreſcit, atque incorporea quoque, Deumque maximè nos amamus, vel amare debemus, & quoniam omne bonum ſui communicatione defectus noſtros implet, cum Deus omni genere bonorum ſit abſolutus,

lutus, hinc vis diuini amoris facile cognoſcetur, qui cum Deo nos, hoc eſt cum noſtra perfectione coniungit, in qua nulla pulcritudinis pars vnquam deſiderari poſsit. In hominum autem amore mutuo fermè vtriuſque eſt defectus, qui bonis vtriuſque vult ſuppleri. Defectum hîc ſemper appello, qui ſit cum aliquō bono coniunctus: nam, vt antea diximus, ipſe ſolus nullas vires habere poteſt. Expetit autem quòd per defectum planè non eſt abſolutum, & abſolutiùs fieri cupit à ſimili, quod in eo genere excellit. Quòd verò quanto quis melior eſt, tanto maiore deſiderio rerum bonarum teneatur, mirum non eſt, nam in bono appetentiam eſſe diximus, quod quanto maius eſt, tanto propterea maiores obtinet deſiderij vires. Similitudo enim appetentiam deficientis auget, & eam ſemper diminuit diſsimilitudo. Itaque videmus inter diſsimiles nullam amicitiam conflari: Sed quando bonum præſens eſt, quāto deſiderium & pulcrum eſt maius, tanto magis illud abhoc expletur, vnde prouenit etiam tanto maior voluptas: & hinc etiam facilè vis amoris diuini cognoſci poteſt. Inter homines igitur merito maximè amamus Deo proximos, hoc eſt optimos, omnibus corporis & externis ornamentis excellentes: & tamen etiam inferioris conditionis homi-

nes amare debemus, quos pulcriores, præſertim opera noſtra, fore ſperemus. Ita filios & diſcipulos merito amamus, quanquã ad optatam pulcritudinem eos nondum perduximus, & Deus ſuos omnes, quamuis adhuc in vitio poſitos, ſummo quodam proſequitur amore: non quod pulcritudine cuiuſquam indigeat, ſed quod eius iuſtam propagationem naturæ boni conſentaneam eſſe ſciat: eos vero qui pulcri fieri nullo modo poſſunt, vt cacodæmonas, vt homines planè perditos, nos amare non licet, quos Deus etiam odio ſummo ſemper eſt proſecutus. Verùm cùm non tantùm vt pulcrum amemus, ſed vt illud etiam propagemus natura propenſi ſimus, hinc nouus & maximus amoris ſtimulus accedit, qui ſi cum prioribus coniungatur, quoddã incredibile dictu ex pulcro pulcri propagandi deſiderium prouenire ſolet: à quo quòd plurimi viri, reliquarum omnium rerum victores, facilè deuicti fuerint, mirùm non eſt cùm nihil potentiùs ſit in rebus humanis. Natura igitur inter virum & feminam inſignem & neceſſariam poſuit commercij cauſſam: cui ſi forma, morumque & ingeniorum pulcrorũ ſimilitudo accedat, longè potentiſsimus fit amoris nexus, quẽ nulla vis humana diſrumpat: maximè ſi reciprocus ſit amor, qui geminato vinculo

Perpetuitas pulcri pulcra.

Plo. l. de Am.

tanto

tanto certè potentiùs hominum animos connectit. Hinc autem facilè cuiuis intelligere licet, quàm optabilis, quamque felix ſit eorum conditio, qui cum mente veræ pulcritudinis imaginem ipſam conceperunt, animumq́ue ſuum habent ad eius admirationem ab ipſa natura formatum, in hac vniuerſitate, quæ tota ſimilitudinem eius gerit, peculiarem & inſignem illius ſpeciem inuenerunt, in qua diuinæ pulcritudinis expreſſa talia veſtigia cognoſcunt, qualia ſibi à natura impreſſa ſentiunt: eorum certè conditionem ego feliciſsimam eſſe puto, præſertim, ſi conceſſum fuerit ea deſiderata pulcritudine per omnem vitam frui: maximeq́; ſi fructus ille pulcritudinis reciprocus ſit, vniuſque amatoris bonum ſemper in alterum pleniſsimè redundet, & eius propagandi ſint iuſtas & legitimas occaſiones adepti: ea profecto vita nihil hîc dulciùs excogitari poſſe videtur. Nõ enim video quid illis, qui diuinitùs amant, amarũ aut acerbum ſit, quod non ſuaue protinus reddatur, ſiue enim vni quippiam accidat mali, ſiue vtrique, præſto ſemper eſt amor vtriuſque, quo, tanquam ſummo quodam humano bono, quæuis calamitates facilè compenſentur, ſin autem vni vel vtrique quid accidat boni, hoc amor etiam vtriuſque ſummum facit. ijs cibum & potum

dulciſsimum, ſomnos ſuauiſsimos, omnẽ amœnitatem amœniſsimam,& omnes tem peſtates amor ſerenas reddit, cùm ſemper habeant præſentem,quo nihil aliud vnquã in hac vita libẽtiùs cernunt: quod ſemper, præter iſtam corporatam,quam oculis no ſtris cernimus, animis ingerat etiam ſpeciem illius pulcritudinis æternæ, quæ ſummam voluptatem non adferre nequit. Pro fecto diuinum quiddam amor eſt, qui in Rep. bene conſtituta maximi fieri debet. Nam arcta quoque per amorem animorũ coniunctio, quantum ad proborum filiorum procreationem conducat,dici non poteſt: propter conſenſum illum totius naturæ,quo cuncta fiunt,& conſeruantur, propter concordem filiorum inſtitutionem,& exemplum amandi, quod à parentibus ſuis ſumunt. Sed obijciet fortaſſe quiſpiam, quamuis ſumma voluptas ſit amoris fortunati,pauciſsimis enim, aut potiùs nullis hominibus,obtingere: ſed infelices potiùs hîc, & malos eſſe pleroſque amores, vt inter homines improbos,& eos qui reciproca beneuolentia non fruuntur. De improbis autem hoc loco nihil dico, niſi quòd ipſi ſeſe verè amare minimè poſſunt. Non enim à malo bonum, nedum optimum aliquid vnquam fiat:& omnis verus amor pulcer eſt,malum autem pulcrum eſſe nequit;

ſed

ſed de amore bonorum, qui tamen recipro cus non eſt, pauca quædam dicenda videntur. Si quis igitur exempli gratia feminam aliquam pulcram, probam & honeſtam amet, nec redametur ipſe, maximum quoddam malum hoc eſſe vulgo iudicatur. Nunquid enim miſerrimum quiddam eſſe meritò videatur, quam maximo ſuo bono quẽ deſtitui, nec vnquam eo poſſe frui? Verùm ſi ipſa talis eſt, qualem deſcripſimus, eum odiſſe nequit, quem omni beneuolentia dignum, & in eius quam amat vtilitatem, etiam vitam ipſam libenter expoſiturum eſſe non ignorat. Si ſe amari neſciat, ipſa quidem omni culpa caret, ſed non tu, qui efficere debebas, vt ſe amari ſciret. Si verò te redamet ipſa, eo ipſo, tanquam ſummo quodam bono, meritò certè debes eſſe contentus: quamuis illa perfecta vitæ ſocietas non accedat. Atqui dicet rurſus aliquis, in eo tantum eſſe mali, vt aliud maius nequeat excogitari. Nihil enim triſtius eſſe poſſe illius abſentia, quod præcipuum tuum bonum eſſe putas. at ſi illud non vidiſſes, non amaſſes, & tamen eo caruiſſes. Non igitur in eo quod careas, ſed quod carere te ſentias, malum fuerit collocatum. Verùm ſi rectè conſideres, ea non cares, cùm eius beneuolentia fruaris, quam tanti, quantùm illam amas, facere debes. Si verò in ea tan-

tum bonum eſſe iudicas, præſtat equidem vidiſſe, amare, & carere, quam nec vidiſſe, nec amare. : vnde ſequitur, malum eſſe non poſſe verum amorem. Dicet aliquis, vnde igitur tot lacrymæ, tot curæ, tot ſuſpiria, gemitus, tamque miſeri multorum interitus, ſi in omni amore plus eſt boni, quã mali? Legimus enim innumeros nobiliſsimos & fortiſsimos viros propter amorem acerbiſsimas mortes ſubijſſe. At ſi hæc mala ſunt, in amore tamen maius videtur eſſe bonum: alioqui enim pro eo non ſuſciperentur. Non autem eſt quiſquam, qui verè amat, quin ipſe malit amari, quam hæc omnia non ſuſtinere. Nec eſt quòd falſam opinionem quis obijciat, loquimur enim de veri pulcri vero affectu, qui à falſa quapiam perſuaſione proficiſci, vel malus eſſe nequit, cùm eius cauſſa pulcrum ſcilicet, optimum quiddam eſſe meritò cenſeatur: quamuis reliqua deſideria non explcantur. Hæc tamen cùm honeſta ſemper ſint, conatus eorum, qui verè amant, non modo, non debent impediri, ſed in bene conſtituta Rep. promoueri, & verus amor ab omnibus vehementiſsimè laudari. Is enim bonorum animos in vnum maximè coniungit: qua coniunctione nihil meliùs, nihilq; potentiùs eſſe poteſt ad rerum tum publicarum, tum priuatarum omnium conſeruationem. Nam qui eximio quodam amo-

re eſt deuinctus, ſuam incolumitatem facilè pro alterius ſalute contemnit. Ex duobus enim per amorem vnum factum eſt, cuius præcipua pars apparet ea, quæ ab altera amatur. In omni vero compoſitione, ſi periculum aliquod imminet, natura potius illud ad partem ignobiliorem transferre conatur. Ergo quanquam alter amicorum alterum iuuare cupiat, & viciſsim ab altero iuuari, & virtutes vtriuſque deſiderent ambo, non vt proprias, ſed vt communes & indiuiſas: magis tamen quiſque facit omnia in gratiam amici, qui nimirum ſit cuiuſque præcipuum bonum. Sic in corpore noſtro, cuius partes omnes tanquam amoris vinculo ſunt inter ſe coniunctæ, ſi quid accidat boni, potiùs ad nobiliorem, & malum ad partem diſtribuitur, quæ minus dignitatis habet. Ita mirum non eſt, ſi quis pro eo quem amore proſequitur, pericula quæuis & mortē non dubitet ſubire. Ex amore beneuolentia naſcitur: hæc ſi reciproca ſit, amicitia nuncupatur, quæ nihil aliud eſt quàm ſtudiorum & voluntatum mutuus conſenſus. Non igitur ſe tam latè quàm amor extendit, ſed partem hominis ſuperiorem potiùs attingit, & ſemper eſt etiam cum virtute coniuncta. Cùm autem amicitia tantùm inter viros bonos ſit, manifeſtū eſt, ſi plures nobis amici ſint, quòd quantò

Beneuolentia.
Amicitia.
Ariſt.l. 8. Eth.
Cice.lib. 1. Offi.
Amicitia tantū inter bonos.

quantò me'ior aliquiseſt, tantò magis de-
beat amari. Ita, quanquam amicitia ſimili-
tudinem & æquabilitatem animorum con
tineat, ſi diligenter conſiderauerimus, hîc
etiam Geometricam quandam analogiam
inueniemus. Nunquamenim duos pares
reperire licet: nec veriſimile eſt Pyladem
& Oreſtem, qui tamen voluntatibus iiſdē
fuiſſe dicuntur, aut vllos alios omnibus a-
nimi corporiſq; dotibus æquales eſſe po-
tuiſſe: & ideo non oportet vt par beneuo-
lentiæ ſit menſura, ſed vt magis ametur ille,
qui magis excellit, et qui nobiſcū magis eſt
coniūctus. Itaq; natura ratioq; cōmunis po
ſtulat, vt in parentibus, coniugibus, ſum-
mus quidam ſit amor: in filijs non par qui-
dem amor, ſed tamen debet eſſe iuſtus. In-
ter ſanguine coniunctos, etiam propter na
turalem ſimilitudinem, eſt maior, quàm in-
ter alios amor: qui familiaritate continuò
creſcit & etiam probatur: nam dicere ſo-
lent, niſi certas ſalis menſuras ſimul come-
derint, non eſſe veros amicos. Quanquam
autem hic quod in virtutibus omnibus ac-
cidit, vt vel rariſsimæ vel nullæ potiùs ſint
perfectæ, & vt vel mediocribus vel etiam
inferioribus oporteat nos eſſe contentos,
illud tamen ſemper obſeruandum eſt, vt in
hominibus ſuperioribus plures & ſuperio-
res ſint virtutes. Igitur in principibus Reip.
maxi-

Amicitia requirit analogiam Geometricam.

Ariſt. l. 8. Eth.

maximus etiam ſubditorum ſit amor, ſine quo fieri nequit, vt officio ſuo rectè fungatur. Semper enim in eo qui bene facit, quàm in eo cui bene fit, debet eſſe magis excellẽs amor: quoniam, vt inquit Ariſtoteles, agendo potiùs quiſque quàm aliquid perferendo fruitur rerum natura, & ideo ſemper effecta, quam cauſſæ, magis amanter. Non tantùm autem volumus vt in Rep. noſtra ciues omnes voluntatibus arctiſsimè conſpirent in vnum, ſed etiam vt ipſa cum alijs bonis Rebuſp. per amicitiam ſit arctiſsimè coniuncta: quoniam nihil ſine defectu aliquo reperire licet in rebus humanis, qui certè bonis vicinis velit impleri. Cùm verò ſimilitudo amicitiæ ſit effectrix, oportet vt Reſpub. quæ amicitiam egregiè ſeruaturæ ſunt, inter ſe quàm maximè conueniant moribus & inſtitutis: nam diſsimiles odio mutuo carere non poſſunt. Quod ſi igitur inter ſe vicinæ Reſp. moribus diſsideant, potentior & melior occaſione iuſta data deteriorem, etiam ob vtilitatem hoſtium redigat in ſuam poteſtatem, & eam ſibi quàm ſimilimam reddat. Nam vtilis eſt inter homines quam latiſsima ſimilitudo morum bonorum; & hinc eſt, quòd principibus ſuum imperium propagare ſit interdum conceſſum. Sed hac de re poſtea pauca quædam dicturi ſumus.

Similitudo amicitiæ effectrix.

DE REPVBLICA LIBER III.

PLVRIMA ſunt adhuc, quæ de iuſtitia poſſent afferri, Præſul illuſtriſsime, ſed nos hîc pro inſtituto ſatis multa dixiſſe videmur. Vnum autem virtutum genus nunc eſt reliquum, quod inter cetera ſuum principatum tenet. Pulcrum equidem eſt omnes peccandi illecebras cohibere, nec vllis periculis propoſitis vnquam deterreri: pulcrum eſt cuique ſemper, quod illi debetur, exactè diſtribuere: ſed niſi quis ſciat rerum omnium gerendarum rationes, & his etiam obſequi multa didicerit exercitatione, non poterit vnquam in vllo virtutis officio rectè verſari, vt nec bene per varios & arguatos itinerum flexus ingredi, qui nihil aut parum admodum cernit. Oculus autem animorum noſtrorum mens eſt, quæ dum diligenter in rebus humanis cognoſcendis & adminiſtrandis occupatur, de ijs bene conſiderandi conſultandique promptitudinem hominibus affert, quam nos prudentiam appellamus. Hæc eadem mens rebus æternis cognoſcendis dedita, ſcientias etiam & ſapientiam acquirit, ſine quibus profecto nos omnes in denſiſsimis tenebris &

ſummis

ſummis miſerijs viueremus. Nam ſi nobis hæc corporata lux tantam voluptatem affert, quemadmodum ex turbidis & caliginoſis temporibus & ex nocturnis horroribus cognoſcere licet: quid de altera illa noſtrorum animorum luce dicemus, quæ multò magis ab externa, quam ipſe Sol à craſſis rerum vmbris, diſtat? At ſi qui voluptatem hanc ſibi contemnendam eſſe putent, ſaltem vtilitatem negligere minimè debét. Quoniam aũt ab aliquo bono ſuam omnia naturam habent, & bonum ſeſe ſemper vlteriùs in proxima quæque effundit, nec vnquam otioſum eſſe poteſt, animus corporaturam tantis interuallis ſuperans, ignauia minimè fuerit corrumpendus, ſed diligenter excitandus, vt in humanæ vitæ præſcripto ſtadio curſum ſuum teneat, & ad propoſitam metam alacritate ſumma contendat: quod nunquam bene facturus eſt, niſi totum ſpatium exactè cernat, & etiam in eo didicerit egregiè verſari. Quandoquidem verò ſcopus, ad quem operationes omnes tendunt, in rebus omnibus longè maximum momentum habet, oportet vt is bene perſpectus ſit, modò quæ ad eum feruntur rectè conſtituere velimus: verùm non ad hanc vitam tantùm, ſed ad aliam præſtantiorem nati ſumus: & etiam ſi tantùm ad hanc vitam nati eſſemus, alterius

cogniti-

cognitione ſemper opus haberemus, qua turbulentiam hanc humanam in ordinem aliquem diuinum redigeremus: Igitur adminiſtrari nequeunt res humanæ, niſi præſto nobis ſint diuinæ, & ideo prudentia ſola non ſufficit, nec etiam ipſa ſine ſcientijs eſſe poteſt. Scientiæ verò præcipuam veritatis magiſtram ſapientiam requirunt, ſine qua planè rudes ſint & incultæ. Hæc primas rerum intelligendarum rationes in clariſsimam æternitatis lucem exponit, à qua reliqua noſtrorum animorum natura, tanquam à ſplendore puriſsimi Solis aër, alioqui planè tenebricoſus, illuſtratur. Sapientia verò prima, quæ ſuam virtutem reliquis largitur, tantùm in vno rerum omnium ſummo principio ſuum exordium habet: nam alioqui potiùs eſſent plures diuerſæ, quas alia ſuperior contineret atque coniungeret, quæ quidem ipſa primæ ſapientiæ nomen obtineret. Itaque nobis nunquam quieſcendum eſt, donec peruentum ſit ad illud ſummum, in quo eximiè ſunt omnia, & cum ijs omnibus noſtra quoque felicitas eſt collocata. Sic tanquam per gradus aſcendimus & deſcendimus, ac è ſupremis illis cauſsis nobiſcum deferimus optimas rerum gerendarum rationes. Poſtquã igitur prudentiæ ſapientiæq; naturam breuiter in hoc libro conſiderauerimus, etiam

de

de illo ſummo pauca quædam dicemus, à quo, diuerſo boni participatu, varius quidem, ſed omnino ſibi conſentaneus, tamen ordo rerum omnium in hanc naturam eſt introductus: qui cùm hominibus ſummopere ſeruiat, & plane neceſſarius ſit, etiam in iſtam noſtram conſiderationem venit: quatenus ſcilicet ad inſtituendam Remp. conducit. Cùm itaque ſine præclaris actionibus, nec hic feliciter viuere, nec alteram illam felicitatem poſtea cōſequi poſsimus, cùm etiam rebus externis nobis opus ſit ad omnes noſtras actiones, quid momenti teneant ad iuuandas aut impediendas ciuium operationes, vnde Reſp. promoueatur aut lædatur, ex earum diligenti conſideratione poſtea quoq; cognituri ſumus, nos tamen hic non omnia, quæ ſunt infinita, dicere volumus, ſed tantùm præcipua quæque attingere, vnde quidem alia multa, ſi quis bene ratiocinari norit, intelligi facile queant. Vbi autem res externas etiam perpenderimus, ad perſonarum conſiderationem nos conuertemus, quemadmodum initio polliciti ſumus: ciuilis enim tractatio in res & in perſonas eſt à iuriſconſultis quoque diuiſa. Ita nos ſapientia beneuolentiaque tua freti Præſul illuſt. ordinem, quem propoſuimus, ad finem vſque proſequemur.

De

De Prudentia. CAP. I.

CVM ergo virtutes omnes, de quibus hactenus diximus, deſinant in actionem aliquam, & cùm ignota rectè conficere nequeamus, requirunt virtutem aliam, qua rerum gerendarum rationes cernantur, hæc autem, vt & reliquæ, partim natura, partim exercitatione longa comparatur, nam ij quibus inſtrumenta cognoſcendæ veritatis apta ſunt ab origine, multò meliùs, quàm hebetes & obtuſi natura negotiorum omnium euentum cernunt: & tamen etiam vſus, cuius vim in iſtis virtutibus præcipuè conſideramus, vel ipſe ſolus in omnem partem multum poteſt. Animus enim diligens, non ſe tantùm, ſed etiam ſuum corpus, præſertim partes eius tenuiſsimas, æthereos nimirum illos ſpiritus, qui, vt inquiunt Phyſici, mouendi, ſentiendi cognoſcendique ſunt inſtrumenta, tandem in continuatarum actionum ſuarũ ſimilitudinem commutat: quod quanquam à nobis etiam antea ſatis eſt dictum: vt ſequentia meliùs intelligantur, nunc etiam breuiter dicetur. In corporis itaque noſtri partibus tenuiſsimis, perſpicuis & æthereis, quæ proximiùs ad incorpoream naturam accedunt, animus præci-

præcipuè degit: cuius contactu ſplendorē illæ ſuum acquirunt, quemadmodum & materia corporum cæleſtium à propria ſua forma. Hæc autem forma non tantùm in propriam ſuam materiam vim ſuam exercet, ſed etiam in quamque vicinam, quatenus eam concipiendæ virtutis externæ natura capacem fecit: & hinc variæ proueniunt omnium rerum actiones & affectiones. ſic lucis color, & corporum durorum percuſsio, per circumfluam materiam, oculos & aures ferit, & noſtri corporis affectio ſtatim quoque noſtrum animum attingit. Quemadmodum enim aër qualitatem caloris, ſoni atque odoris à formis rerum conceptam tranſmittit, & quatenus eam conſeruat, incaleſcit, refrigeratur, humectatur & exſiccatur: ſic etiam ſpiritus quidam æthereus in nobis eſt, per diuerſa corporis inſtrumēta diuerſus, qui proprias affectiones concipit, atq; tranſmittit ad aliū ſpiritum, qui quidem intelligentiæ præcipuum inſtrumentum eſt, & tanquam in arcis medio conſtitutus, ad omnes affectiones reliqui ſpiritus æquabiliter concipiendas eſt accommodatus: quas ilico transfert ad mentem: quæ nimirum ſit illius ſpiritus & inſtrumenti ipſa forma, cuius illa præſentia illuſtratur. Quemadmodum autem aër,

quantumuis perſpicuus, ſine luce colorem non tranſmittit, ſic & iſte ſpiritus luce ſua deſtitutus, intelligentiæ ſeruire non poteſt. Sed anima, cùm actus corporis & potiſsimum huius ſpiritus ſit, in eum lucem ſuam nunc vehementiùs, nunc remiſsiùs, effundit: quatenus ſpiritus perſpicuus aut opacus eſt, quatenus vim ipſe ſuam intendit vel relaxat, & quatenus affectiones à rebus externis violentiores ſunt aut mitiores. Quáuis autem ſpiritus ſerenus ad veritatis euidentiam plurimùm confert, attentio tamẽ vehemens animorum in eo non mediocriter ad augmentum lucis valet: ſic enim caliginem potentia Solis diſcuti, & validis motibus ignem & lucem excitari videmus. Quantò verò lux animorum in hoc ſpiritu maior magiſque ſerena fuerit, tantò proculdubio concipit veritatem euidẽtiorem, hoc eſt, magis incorpoream & diuinam. Itaque videmus aſsidua mentis agitatione, præſertim eos, qui perſpicuum & æthereũ multum naturâ ſpiritum habent, res etiam ipſas incorporeas intelligere, & veritatem à circumſtantijs & indumentis corporeis ferè penitus ſeparare: quamuis, cùm hæc lux in corporatura ſit, planè nudam veritatem in conſpectum mentis conſtituere nequit. Videmus etiam eos, qui parum incorporeæ lucis in hoc ſpiritu tenent, ſingularia

tantum

tantum intelligere, & per ſomnia in quibus, ne ſpiritus iſte mentis aſsiduo motu diſsipetur; actus animæ magna ex parte ſe ad alias partes corporis naturâ ſubducit, ſpiritumque tenebricoſum relinquit, tanquam in locis obſcurioribus varia rerum monſtra ſeſe nobis offerre. Quanquam autem hæ veritatis ſpecies, de quibus iam diximus, hîc adhuc in corporeo loco conſiſtunt, & animus noſter earum incorporeus eſſe locus meritò iudicatur, vnus tamen alterum, incorporeus ſcilicet animæ corporeum occupat, & naturâ tantùm hæc, non autem ſpatio ſunt diuerſa: imò verò tametſi natura diuerſa, tam ſimilia ſunt, vt facilimè ab vno in alium tranſitus fiat, præſertim vbi via multò fuerit vſu trita: & etiamſi animorum veritatem in loco corporeo ſine conditionibus corporis hîc non poſſumus videre, tamen à corporea facilè ſentimus in nobis incorpoream excitari. Itaque cùm viros doctos & ſanctos de rebus diuinis diſertè dicentes audimus, orationem quidem auribus, & ſignificationem eius cogitatione percipimus, ex hac natura rerum corporatarum depromptam: quę tamen, quia cum altera natura rerum diuinarum conſentit, nos ad eam tanquam manu ducit, & mirabiles in animis noſtris pietatis, religionis & ſanctitatis motus intro-

ducit: præſertim ſi fuerint ad eos natura & vſu propenſi, Deique Opt. Max. ſingularis beneuolentia conſpiret, quæ nunquam eiuſcemodi animorum motibus deeſſe ſolet. Et iam rurſus ad ſumma progreſsi ſumus, ac tempus eſt, vt verſus prudentiam, vnde digreſsi fueramus, reuertamur. Si quis igitur, natura, vel vſu rerum doctrinaque, vel potiùs his omnibus, ita ſit conſtiutus, vt facilè ſecundum veram rationem particulatim inſtituat negotia quotidiana, is meritò prudens habetur. talem Neſtorem fuiſſe legimus, talem Lycurgum, talem Solonem: qui multis experimentis & rationibus edocti, plurima maximaque contulerunt in vſus communes: & cùm tam malos omnes, quàm bonos, rerum exitus animis ſuis tenerent, illis quidem facilè remedium, & his inſtrumentum accommodatũ, quatenus rerum & occaſionum natura pateretur, inuenerunt. Quiſquis verò prudens eximiè futurus eſt, oportet imprimis vt bene perſpicueque natura cernat, & vt ſit admodum circumſpectus. Quoniam enim ex plurimis rebus compoſita ſunt, neceſſariũ eſt, vt in ſingulis negotijs multa veniant in conſiderationem, nimirum natura, vis & magnitudo cuiuſque, quo tempore locoq́;, & quibus perſonis conueniat, denique quî debeat aut poſsit fieri vel impediri. Cùm

Ariſt. l. 6. c. 5. ad Nico.

Prudens quomodo quis fiat.

circumſtantiæ negociorum ſint infinitæ, ſine quarum examine ſedulo quis rectè iudicare nequit, cumq; res partim bonæ partim malæ ſint, varijsq; modis inter ſe commixtæ, & cùm in ſingulis maius bonum minusque malum ſit eligendum, neceſſarium eſt eas diligenter inter ſe conferre, vt quid ſingulæ, vel ſolæ vel cum alijs coniunctæ, pōderis habeant, cognoſcamus: quod quidem quàm difficile quamque laborioſum ſit, nemo ignorat. quoniam autem ferme negligentiores in rebus inueſtigandis ſumus, fit vt prima potiùs boni maliúe ſpecies, vti priùs dicebamus, rudes noſtros animos ad ſe conuertat. Ita Paris Helenæ formam & non patriæ calamitatem videbat: ſeniores Troiani & hanc laudabant, ſed Remp. tamen præferebant, & ideo fuerunt ipſi prudentes. Neſtor etiam meliùs Agamemnoni, quam Agamemnon ſibi conſulebat, dum hic Achyllis triſtem illam iram prouocabat: Oreſtes potiùs in facinus matris, quam in beneficia quæ acceperat, cogitationem & manum cōuertebat: & ideo non tantùm imprudens, ſed etiam dicitur furore ſummo correptus fuiſſe. At ſi quis exempla ſtultorum numerare velit, inueniet infinita, cùm interim prudentum, vt eximia quæque, admodum ſint rara: qui tamen diligenter omnia circumſpicit, & mul

Ariſt. l. 5. c. 3. ad Nic.

tis experimentis bonum humanum diſcere conatur, niſi natura planè cæcutiat, huius virtutis gloriam tandem conſequetur. Oportet etiam ab affectibus, qui nimium in hanc aut in illam partem trahunt, cum liberum animum habere, qui virtutem hanc præclariſsimam ſibi cōparare velit: & ideo Græci temperantiam, tanquam prudentiæ conſeruatricem, appellant: nec puto præceptum ad hanc rem vllum inueniri poſſe vtilius, quàm vt in omnibus negotijs oblatis ſemper in memoriam reuocemus, nos nunquam rectè iudicaturos, niſi liberè conſulteq; prius in omnem partem reſpiciamus, & quid boni malique circumſtantiæ ſingulæ contineant, diligenter inquiramus. Id quidem moleſtum eſt initio, cū multa ſint, quæ noſtræ mentis oculos teneant tanquā faſcinatos: ſed vſu tamen facilè tandem fit, & tunc demum virtus appellatur. Cùm igitur hæc natura rerum & animorum multas habeat partes, neceſſarium eſt, vt mens totidem habeat in promptu, vt cùm vna propoſita fuerit, facilè cernat omnes vicinas, à quibus negotij conficiendi ratio poſsit vel promoueri vel impediri: quod quidem rectè per Protheum ſuum Homerus ſignificaſſe videtur, qui, vt & res omnes humanæ, ſe facile mutabat in omnem figuram: nec cum Vlyſſes, quem nobis tanquàm prudentem

Affect⁹ prudentiæ contrarij.

σωφροσύνη Ariſt.l.6. c.5.Eth.

tem hominem deſcribit, comprehendere potuiſſet vnquam, niſi prius ab Idothea, quæ rerum maximarum naturam omnem intelligebat, fuiſſet edoctus. Sed hæc ſapientiæ magis propria ſunt, de qua poſtea dicemus. Ad prudentiam igitur exercendam animum ad omnia verſatilem & perſpicuũ habere decet, nec tantum vicinos ſuos, ſed multas vrbes & multorum hominum mores vidiſſe. verum eſt enim id quod dici ſolet, non omnem tellurem omnia proferre: atque ideo aliunde quærenda ſunt, ea quæ nobis deſunt. quod etiam ad negocia trans ferri poteſt: quorum rationem omnem ex diuerſis hominum moribus addiſcere nos oportet. Eum qui prudentiæ laudem conſequetur, omnibus vel plurimis ſaltem proſpicere, nec in quibuſdam tantum, ſed in plæriſque rebus & animis intelligendis decet eſſe exercitatum. Tametſi verò prudentiæ multi gradus ſunt, ex quibus alius alijs ſuperiorem aut inferiorẽ, aut etiã alius ab alijs in alio genere diuerſũ tenet, illa tamẽ propriè nomen illud totum ſibi vendicare debet, quæ reliquas omnes ambitu ſuo cõprehendit. Fieri poteſt, vt quis inter principes aut plebeios, & in his aut in illis negotijs prudens ſit, quanquam non teneat genus vniuerſum: tamen ea quæ poſita ſunt in vſu quotidiano tam inter ſe cohærent, Prudentia perfecta.

vt quis tam ſpecioſum nomen ſine partib. omnibus, aut ſaltem plæriſque, non mereatur. Conſideremus igitur omnes vel plurimas actiones humanas ad vitam neceſſarias, & is qui ſe poterit ijs optimè accommodare, prudēs meritò dicetur: quod quidem, vt diximus, partim fit ingenij iudicijque naturali quadam perſpicuitate, qua tanta nonnulli valent, vt vel mediocri vſu res quantumuis tenebricoſas & implicitas diſcernant, partim etiam longo & indefatigato vſu. Multi quanquam ab ipſa natura ingenium habeant obſcurum, aſsidua mentis agitatione tantum lumen excitant, vt etiam rerum intima tandem perſpicere poſſint. Si quis autem mentem diligenter exerceat, & inſtrumentorum hebetudine, vel impedimentorum multitudine non retardetur, is talis erit, quem in rebus gerendis maximè deſideremus. Iam quòd operationem aliquam vtilem prudentia potiſsimū ſpectet, id fermè cum alijs virtutibus, de quibus iam diximus, habet cōmune, quod autem veritatis ipſa veſtigia ſequatur, eò proximius ad artium & ſcientiarum naturam accedit: à quibus tamen manifeſtè differt, quemadmodum rectè dicit Ariſtoteles: nam in artibus melior, prudentia verò reliquiſque virtutibus moralibus deterior eſt, qui ſponte peccat, & prudentia circa

l.5.c.8. l.6.c.5. ad Nico.

ſingularia negotia, ſcientiæ verò circa res communes verſantur. Diffinit autem prudentiam virtutem & habitum practicum, quo de bono quis humano ſecundum rationem facilè conſultat. Cùm autem bonū humanum in reliquis etiam virtutibus ſit, & cùm etiam in omnibus rebus bene conficiendis conſilio ſit opus, & is qui malè viuit optimè conſultare nequeat, nunquam (vt idem inquit) vel ſine virtutibus prudentia, vel ſine prudentia reliquæ virtutes poterunt eſſe perfectæ. Non enim prudentia cognitionem tantùm rerum bene gerendarum, ſed & vſum & exercitationem multam requirit. Exercitatio verò boni, bonū tandem aliquam non reddere nequit: nam fraudulenta conſilia, cùm ad malum exitū tendant, non prudentiæ, ſed potiùs alicui perditæ arti ſunt adſcribenda. Itaque legimus Gracchum, Catilinam, & alios plurimos aſtu vafritieque plurimùm valuiſſe, quos tamen nemo ſanæ mentis appellarit vnquam prudentes. Non enim conſultandi quouis modo, ſed bene conſultandi longa diligentia, multis experimentis prudentiam parit: ſic enim dum inſtrumentorum rubiginem longo vſu diſcutimus, conſiliorum capiendorum, & exequendorum facilitatem comparamus. Idē etiam in artibus & ſcientijs omnibus accidit,

Prudentia ab artibus differt.

Prudentia quid.

Ad Nic. in prin. & l.5.c. 12.

Ariſtot. ad Nic. l.6.c.9.

Artes quomodo comparētur.

dit, vt ſcilicet veritas earum non tantùm doctrina, ſed etiam multis experimentis & inquiſitionibus in animis & in operationibus noſtris eluceſcat: & ideo præmia magna proponenda ſunt exercitationibus omnibus honeſtis, vel ſaltem honeſtiſsimis & maximè neceſſarijs in Repub. quod ſi fiat, vel eo ſolo facile ſibi comparabit ipſa magnos earum magiſtrós. poſt virtutem conſiderandum eſt, quid in Rep. maximè neceſſarium ſit, & eius effectores in maximo pretio ſunt habendi: ſic erit multis quoque præclaris artificibus & monumentis exornata. Nihil omittendum eſt, quod excitet diligentiam ad ſtudia literarum & omnem rerum cognitionem, eam præcipuè, quæ virtutis decorem & vitiorum turpitudinē demonſtret: virtutis inquam omnis, ſed eius maximè, quæ præſtantiſsima ſit, & plurimùm ad res diuinas, deinde publicas & etiam ad res omnes priuatas conducat: nec non reliquarum omnium rerum excitandū ſtudium eſt, quæ conferunt ad vtilitatem et exornationē ciuitatis. Pro cuiuſq; ingenio in ijs inſtituēdi ſinguli ſunt, quib. ſibi Reiq;pub. maximè proſint, artesq; præſtantiores ſemper ſunt alijs ignobilioribus anteferendæ. Ita primum locum tenent quæ virtutem docent, ſecundum quæ corpora conſeruant, tertium verò quæ Reip. facultates augent; nec etiam in his ſingulis ge-

Artes quæ præferendę.

nerib. omnes ſunt pares,ſed artes aliæ ſunt alijs ſuperiores, quarum omnium dignitas ſit vtilitate publica dimenſa. Quapropter illæ quæ minus ad vſus communes accedunt minorem laudem mereri videntur, vt quę magis ad oſtentationẽ ingenij pertinẽt, q̃ad magnam aliquam commoditatem:idque non tantùm in vniuerſis artibus, ſed etiam in partibus earum fuerit obſeruandum. Videmus enim etiam in optimas diſciplinas quædam, imò multa nunc irrepſiſſe, quæ potiùs curioſa quàm præclara ſint,& ingenium magis deterant,quàm exornent. Artes igitur ſuperuacaneæ reijciendæ ſunt, & in bonis, ſi quid ſuperfluum eſt, diligenter reſecandum: nam ita videmus etiam arbores & plures & meliores fructus proferre. ſed hæc omnia cautè facienda ſunt, ne neceſſaria pro ſuperfluis auferamus. Hinc autem facilè cognoſcere poſſumus, quouſque in diſciplinis progredi debeamus. Primùm non diſcemus aliquid, quod nullam vtilitatem proferre poteſt:deinde duobus propoſitis, id quod vtilius eſt potiùs eligemus,& doctrinam omnem diſcentium ingenijs exactè dimetiemur: non enim decet,vt quis etiam intelligendo modum ſuum excedat. Non omnia ſingulos, nec etiã omnes homines diſcere, ſed quædam ſapientiores tantùm, multa

quoque

quoque ſunt quæ nec illos fas eſt omnino ſcire. Certè videmus per intelligendi nimiam arrogantiam, hominem imprimis de felicitate ſua miſerrimè deiectum, & tam noſtris quàm antiquis temporibus ſæpe communem ſtatum in plurimas eſſe coniectum difficultates. Hinc enim fieri ſolet, quòd à plebe contemnantur prudentiores & principes, & quòd hi ſine conſilio ſapientum malè Remp. ſuam gubernent: quorum exempla plura notioraque ſunt, quàm vt hic à nobis debeant recenſeri. Primùm itaque diſcat vnuſquiſque quid & quatenus intelligere conueniat, quem deceat non tantum agendi, ſed etiam intelligendi ſeruari modum. Ingenia inferiora potiùs in artibus, quæ opus aliquod proferunt exerceantur, generoſiora verò in ſcientijs, quæ propriè ſolam veritatem æternam ſibi proponunt, à qua reliqua tamen proculdubio cuncta ſuam primam originem habent. Quanquã autem veritas eadem ſit vbique, ſe tamen varijs modis, nunc his, nunc potiùs alijs circumſtantijs & perſonis indutam, præſertim in hac inferiore natura, demonſtrat: obſcurior in corporibus eſt, apertiſsima rerum omnium veritas eſt in æternis, in media verò noſtrorum animorum parte medium quendam locum & naturã tenet: in hanc enim eius imago per ſenſus à corporatu-

Veritas varijs modis ſe demonſtrat.

poratura, & per rationem à mente voluntatis imperio profluit. Ita craſſa veritas & ſingularis, æternaque illa communis in vnum conueniunt, & etiam vis incorporea cum conditionibus corporatis, in animis & in eorum media præcipuè parte, quam phantaſiam appellant, tanquam commiſcetur in vnam ex æternis atque corporeis cōpoſitam cognitionem humanam. Quoniam autem phantaſia noſtra multis tenebris, propter corporaturam, inuoluitur, & opiniones in ea variæ, ſæpius etiam falſæ verſantur, oportet hanc caliginem multis rationibus & experimentis conſumi, & ijs ſciendi lucem in animis noſtris excitari.

De Sapientia & Felicitate. CAP. II.

VERVM, apertiſsimam veritatem cernere nunquā poſſumus, niſi ad puriſsimam & clariſsimā eius ſpeciem, hoc eſt ad mentem perueniamus: hæc enim, ſecundum Platonem, veritatem omnium rerum inſculptam gerit, cuius intuitus animos noſtros ſapientia perfundit, quæ quidem eſt ambitu ſuo reliquas omnes ſcientias complexa. Vt autem exactè ſapientiæ naturam & originem intelligamus, ſcire debemus, hominē imis ſuis partibus ex quatuor iſtis craſsis elementis,

mentis, ſummis autem, ex diuinis prin-cipijs conſtare, quemadmodum à multis Philoſophis multis in libris traditum eſt, & latiùs explicatum in Timæo Platonis. At cùm ab ipſa natura fiat, vt ſimilia ſimilium & proximorum continuò motibus impellantur, & elementa nobis circumfuſa, quæque compoſita ſunt ex elementis, nunquam quieſcant, hinc affectionum varia genera confluunt in hanc inferiorem noſtram naturam, quæ ſurſum in tenuiorem corporaturam, & in animum illi coniunctum continuò repant. Quanquam autem in ſingulis, etiam in iſtis infimis, aliqua veritas eſt, nam ſine ea nihil eſſe poteſt, tamen in omnibus hominibus mentem omnia pariter non afficiunt, quoniam æquè non eſt vbique præſens. Præſens aut abſens eſt, vel natura vel inſtituto vitæ, vel propter varios rerum externarum liberæq́; poteſtatis motus, quemadmodum antea dicebamus. Mens enim, vt & reliqui artifices, ijs rerum gerendarum inſtrumentis libenter vtitur, quibus aliquid commodius conficere poteſt: quæ ſi occaſionibus etiam externis commoueantur, & animus diligens ſit, id maximum quiddam eſt ad aliquid eximiè vel intelligendum vel agendũ. Plurimos optimè natos & diligentiſsimos, opportunitatibus rerum ſæpe caruiſſe videmus:

demus: exemplo multi veritatis amatores ſunt, quibus fortuna rationi defuit: vnde factum eſt, vt nihil geſſerint, quod ſit admodum præclarum. Multos etiam multis magnarum rerum occaſionib. parum proficere cernimus, vt qui diutius in arduis negotijs, ſed turpiter tamen verſantur: tum quòd natura parum valeant, tum quòd in ijs malè ſeſe gerere velint. Si quis autem rebus multis & magnis ab ipſa natura deſtinatus, ſummam diligentiam adhibuerit, & adeptus fuerit eximias occaſiones, illi demum aditus ad veram ſapientiam patet. Sed oportet vt itineris tam aſperi, tam intricati, tamque inuij, ſit indefatigatus curſus, ſi modò quis ad ipſum locum veritatis amatoribus propoſitum, peruenire velit. Nam ab his imis ad illa ſumma, maximum & infinitum ſpatium eſt, quod nec à tardis vnquam, nec etiam à celerrimis animis breui tempore confici poteſt. Imò nec hi, cùm finitas habeant vires, ad immēſum curſum vnquam ſufficiunt, niſi ope alicuius ſapientiſsimi & potentiſsimi perducantur, qui varias errorum tenebras lumine veræ cognitionis ex animis noſtris diſcutiat, vaſtitatem omnem itineris ſentib. ac alijs impedimentis expurget, & veram ſapientiam nobis certò demonſtret, vt eſt etiam non ſemel ſcriptum apud Platonem. Is enim eodem au-

Ad ſapientiam tria requiruntur.

ctore,

In Thea. In Gor. In Alci. In Hip. In Phil.

ctore, quò minùs defatigemur, non tantũ nos transfert per omnes difficultates, ſed ipſe nobis offert, quod tam vehementer expetebamus. Quòd autem ſummi boni veriq́ue participes fieri poſsimus, vel ex eo nobis intelligere licet, quòd appetentia motus quidam ſit ad bonum, & quicquid mouetur, partim in eo neceſſario ſit, ad quod proximè contendit: alioqui verò totum adhuc eſſet in eo, in quo, priuſquam moueretur, quieſcebat, nec eſſet vel minimum à priore ſuo ſtatu dimotum, quemadmodum Phyſici demonſtrant. Sic nihil incaleſcere vel increſcere poteſt, quin iam alicuius caloris particeps ſit & incrementi. Cùm igitur quicquid afficitur afficientis vim concipiat, & in eius ſimilitudinem cõmutetur, fit, vt, quiſquis bonum expetit, eius ſtatim particeps fiat, & quia motus immenſus eſſe nequit, vt ipſe tandem perueniat ad deſideratum finem: ſi modò continuus ſit motus. Quanquam autem hîc multa nobis incidere ſolent, quæ motum ad bonum impediant, & nos in contrariam viam repellant, ſpatiumq́ue ſit immenſum, noſque tam imbecilli ſimus, vt noſtris viribus vix tantillum progredi poſsimus, vti iam dicebamus, beneuolentia Dei nobis ſemper adeſt vltro, noſque, ſi modò velimus, per omnes moleſtias facile transfert:

quæ

quæ pro cuiuſque conditione totum hoc animorum ſpatium implet, nec eſt neceſſe, nos per longos & varios tractus, eam inueſtigare, ſed tantum aditum illi diligenter præbere: at appetentia veri boni confeſtim aditum illi præbet. Quod autem ſummum bonum cùm ſemper nobis præſto ſit, non tamen ſemper nos afficiat, mirum non eſt: nam voluntaria, non naturalis & neceſſaria eius actio eſt, & nobis etiam affectionis & actionis liberam quandam poteſtatem dedit: quemadmodum latiſsimè priùs eſt à nobis explicatum. Satiùs autem eſt, vt, in ſummis, præſertim iſtis virtutibus, nihil omnino noſtris viribus, tanquam Deus aliquid nobis debeat, tribuamus. Nam eius liberalitati acceptũ referre debemus, quod ſimus, quod poteſtatem quandam naturalem ad virtutem habeamus, quod diuinæ gratiæ reſtituti ſimus, & indies reſtituamur. Sic ergo diuino fauore ſemper freti peruenire poſſumus ad illud ſummum bonum. Illud autem idem ipſa vera veritas eſt, per quam nos quoque cum ea coniuncti, eius luce potiùs quàm noſtra, puram veritatem cernamus. Si quis autem eò peruenerit, is profectò nihil deſiderare poteſt ampliùs, non magis quàm is, qui iuxta ipſum limpidiſsimum & vberrimum fontem eſt, vlteriores aliquos, non adeo puros, riuos

tùm, ſi quid in ijs eſt, id priùs in illo & multo terſiùs hauriat: nam quantò longius diſceſſeris, tantò magis omnia materiæ limo incipiunt turbari. Omnium turbulentiſsimi, per ſenſus, craſſorum clementorum motus, & ab ijs phantaſiæ ſunt & opinionis fluctus non mediocriter infecti: rationis motus puriores quidem, ſed tamen nondũ ſunt omnino puri. Ita veritas omnis inferior tanquam aliquid falſi continet, niſi per mentem ab ipſo ſuo principio puriſsimo depromatur. In eo ſolo perfecta veritas eſt, cum qua perfecta quoque bonitas ſemper eſt arctiſsimè coniuncta. Reliqua verò omnia per aliud quippiam bona ſunt & appellantur. Ita per naturam naturæ bonum, per mentem autem dicitur bonum mentis: at ſummum illud per ſe tantùm bonum eſt, in quo anima vi quadam intellectui ſuperiore planè conquieſcit. Fieri verò nequit, vt malus ſit is, qui conquieſcit in illo

l.10. c. 7. & 8. ad Nico. in Phœd.

ſummo bono. Quapropter tam Ariſtoteles quàm Plato, reliquique Philoſophi rectè dicunt, per contemplationem homines Dijs non tantum amicos; ſed planè ſimiles reddi: quòd vita Deorum ſit in æterna præſentia. Per ſapientiam igitur homines præſtantiſsimi ſunt, à reliquis animantib. maximè differunt, & etiam per eam pauciſsimis rebus egent: nam alimento tenui

con

contenti ſunt, & ornamentis potiùs animi quàm corporis delectantur: tales autem ciues felicißima Reſp. maximè requirit. Ciues appello quos Ariſtoteles; qui cùm miniſtros ad agriculturam & alias operas neceſſarias habeant, iſtis externis moleſtijs à ſapientia veraque felicitate non diſtrahuntur. Sed tamen nec in his nec in alijs omnes eſſe pares, verùm eos reliquis antecellere decet; qui principem aliquem locum in Rep. tenent. Itaque legimus Aegyptios, qui reliquis gentibus prudentiores habiti ſunt, è ſummis Philoſophis ſacerdotes, & è ſummis ſacerdotibus ſolitos eſſe facere Reges: quòd his eximia ſapientia & ſanctitate opus eſſe iudicarent. Atqui in reliquis etiam bene conſtitutæ Reip. ciuibus, ſi non pares, pro cuiuſq; ingenio maximas virtutes deſideramus: quas ſi teneant, ita demum tota Reſpub. dici poterit verè beata. Summo igitur conatu enitendum eſt à magiſtratibus, vt prudentiæ, ſapientiæ reliquarumque virtutum fontes latißimè per totam Rempublicam deriuentur, & quam plurimos noſtrorum animorum agros quam fertilißimos reddant. Ex ſapientiæ fonte multi riui duci poſſunt, nimirum omnia vitæ præcepta, omnes diſciplinæ. Ex iuſtitia, religio, pietas, obſeruantia, liberalitas, fides. Ex temperantia, verecundia, humania

Cic. l. 2. de na. de. l. 1. de Leg. l. 2. Of. l. 7. c. 9. Pol.

Virtutũ fontes quos riuos mittant.

manitas, clementia, modeſtia, eutrapelia, parſimonia, ſobrietas, caſtitas. Ex fortitudine, magnanimitas, fidentia, patientia, tolerantia, aliæq; multæ virtutes ex his quatuor fontibus oriuntur, quibus animi continuò rigari bonæque ſegetis feraciſsimi reddi debent. Nam tametſi natura fertiles ſint, ſi negligantur, potius malas herbas, quàm bonam frugem, producent. Steriles autem ſedula cultura Reip. poterunt vtiles reddi: nam vt ante diximus, vſus tandem ſuperat primæuam naturam. Magnũ quiddam eſt proculdubio bene quem & à bonis parentibus eſſe natum: nam ex optimis plantis optimas arbores & fructus optimos prouenire videmus, ſed tamen etiam ijs quotannis adnaſcuntur multa, quæ continuò reſecari volunt, & etiam quæ bona ſunt facile marceſcunt, niſi diligentiſsimè foueantur. Ergo ſi quicquam præclari velimus in rebus humanis expectare, virtutes innatæ, vt raræ ſunt & imbecilles, ita magna cura conſeruari debent & confirmari, nec id tantum, ſed nouæ quotidie quoque inſeri, atque vitia, quæ plurima paſsim maximaque ſunt, omni conatu reſecari & prorſus eradicari. At quantumuis diligenter euellantur, vix adeò tolli poterunt, quin reliquiæ ſuperſint, quæ ſemper in inferiore noſtra natura motus nouos moliantur, qui

ſæpe

numero rationem omnem præcurrant: nã alioqui eius imperio ſunt acriter coërcendi: & in eo virtutes ſunt, quas Philoſophi ciuiles appellarunt: non quòd in beata Rep. ſufficiant, ſed quòd hîc nunquam viderint vllam beatam. Ciuiles virtutes ſecundos affectuum motus gubernant, qui quidem ex oblatis rebus expetendis aut fugiendis, non citra ſuperioris animæ ſenſum, excitantur: nam primi motus, vt diximus, rationis & ciuilium virtutum imperium non expectant. Sunt autem aliæ virtutes aduerſus quas affectiones irrationales, veluti ſeruæ præſentibus dominis, ſe vix dum auſint commouere, quibus animos, ad mentem Deumq; inferiorum fuga conuerſos penitus etiam à motibus infimis expurgari, & hominum mentes, his omnibus humanis curis liberas, arctiſsimè cum Deo perfecto virtutum exemplari coniungi atque illi ſimiles reddi, dicunt: & has deſideramus in eo, qui verè ſapiens & felix ſit futurus, ijs animus quodammodo planè ſui iuris eſſe videtur: ita vt ferè ſine commercio corporis negotia quæuis intelligat, in quo ſumma prudentiæ laus eſt ſita: nec vllis improbarum voluptatum lenocinijs afficiatur, aut aliquam à corpore ſeceſsionem recuſet: in quo temperantiæ fortitudiniſque ſumma gloria conſiſtit: & vt perſpectam

Plo. l. de virt.

Plo. l. de virt.

rerum & perſonarum dignitatem liberè ſequatur, quod nos perfectam iuſtitiam appellamus. Neceſſarium eſt, vt ab iſtis craſſis ſimulacris, ad diuinam illam puriſsimã veritatem & virtutem, quemadmodum à Platone diſputatur, tanquam per gradus aſcendamus, & vt in his infimis non immoremur: nam in corporibus Dei tantùm eſt vmbra, in anima verò ſimilitudo, ſed in mẽte illius vera imago, quæ tamen exemplaris ſui virtute cupiat illuſtrari, à quo nimirum omnem ſuum ornatum adſequatur. Cùm enim veritatis nobis ingenitæ ſcintilla tam obſcurata ſit, vt nẽ ad inferiorum quidem ſufficiat gubernationem, certè quò diuina cernamus & ſequamur, affluente luce diuina nobis planè fuerit opus: at hæc ſecum etiam Dei Opt. Max. præſentiam, hoc eſt ipſam affert beatitatem: quæ nihil aliud eſt, quàm perceptio perfecta illius ſummi boni. At cùm hoc mẽte percipiatur, mẽtis aſſiduis operationibus potiſsimùm quis bene beateque viuere dicetur. Quoniam tamen intellectus tanquam imago in ratione eſt, & rationis in ſenſu, & quoniam rationis etiam in partibus inferioribus naturæ quædam eſt ſimilitudo, à ſummis ad ima beatitas quidem aliqua continuo deſcendit: ſed rurſus, cum ipſa potiùs in quiete ſit, & in motu quodam ſint reliqua cuncta, mirum

Plo. l. de red. ani. Plat. in Cra. in Phœd.

Felicitas quid.

non eſt, ſi nòs potiùs eam ad mentem refe-ramus. Itaque neceſſarium eſt, ſi veræ bea-titudinis participes futuri ſumus, vt nos in vitam aliquam & ſenſum reuocemur, nec id tantùm, ſed etiam vt vita noſtra reduca-tur in mentem, & vt hæc præſentia ſummi boni fruatur: ita enim homini reliqua cun-cta ſeruiẽnt, homo verò rerum diuinarum contemplationi, hoc eſt Dei gloriæ ſuæq; felicitati. Corpus igitur rationi mentique ſubijcitur, mens Deo; & inferiorum fines ad vnum ſupremum tendunt. Dicunt eti-am Philoſophi animam planè ſui iuris fa-ctam, adeò ſuperare poſſe materiam hanc, vt & externam corporaturam mutet, & ſu-um corpus immortale reddat: quod ſi fiat, tum demum hominem verè futurum bea-tum; corpus nimirum animæ coniunctio-ne, & tam hanc quàm illud virtute ſummi boni, quod quidem ſolum per ſe, reliquo-rum quodque per illud tantùm poteſt eſſe beatum. Quapropter neceſſarium eſt, vt ad ſummum bonum omnes actiones noſtræ rectà contendant, ſiquidem in eo ſolo feli-citas omnis eſt collocata.

Plo. l. de Feli.

Pla. in Char.

De ſummo bono. CAP. III.

VERVM, ſi rem vnamquamque tum demum cognoſcimus, dum primam eius cauſſam animis noſtris tenemus, cùm ſummum bonum & principium & finis ſit, vt omnium aliorum, ita Reip. quoque bene conſtitutæ, quanquam de eo iam multa dixiſſe videri poſſumus, non fuerit alienum, ſi hoc loco, in quo felicitatem noſtram quærimus, adhuc pauliſper eius naturam, quam nunquã vel ſatis inueſtigare, vel penitus inuenire poſſumus, perpendamus. Nam in eo virtutes omnes tam priuatæ quàm publicæ planè conquieſcunt. Quòd autem illud ſummum perfectum ſit, ex ijs quæ diximus, & ex alijs multis facilè intelligere licet. Nam ſi ope cuiuſquam opus illi eſſet, non quidem omnes, adeoque deficientes vires, & propterea ab aliquo ſuperiore principium ſuæ conſtitutionis atque conſeruationis haberet, & ideo verè ſummum bonum non diceretur, quandoquidem eius effectrix cauſſa priorem dignitatem obtineret. Nec etiam illi quicquam vnquam par eſſe poteſt: ſiquidem nulla cauſſa ſuperior eſt, à qua ſuam originem duorum æquabilitas deducat. Quapropter oportet, vt reliqua cuncta poſteriora ſint & inferiora, quæcunque naturæ rationiſque limitibus

Aeternũ ſuapte natura eſſe nequit, quod deficientis vires habet.

tibus circumſcripſit: oportet, vt hæc facta natura, licet in ſuo genere perfecta ſit, cùm ab illo diſtet infinitis interuallis, non ſit natiuum & neceſſarium immenſitatis illius, ſed aſcititium & liberum eius opus, quod quanquam incompræhenſis ſpatijs, præſertim his infimis ſuis partibus, ab æternitate degenerarit, totum tamen etiam ſimilitudinem quandam gerat illius exemplaris diuini: & hinc præcipuè iudicat Plato, quòd vnus mundus ſit, cùm nimirum vnius vna ſimilitudo tantum eſſe poſsit. Oportet igitur vt totus eum ſemper ſpectet, cuius imaginem refert. Quemadmodum enim effigies in ſpeculo, ſi res ſemoueantur aut ſpeculum auertatur, confeſtim euaneſcunt, hoc etiam accidit vniuerſæ naturæ, ſi Dei præſentia deſtituatur. Non autem omnes naturæ partes æquabiliter expreſſum Dei vultum gerunt, ſed illæ quæ nitidiſsimæ maximeque perſpicuæ ſunt, in eiuſque directo conſpectu proximè conſtitutæ, multò referunt eum veriorem & illuſtriorem: & tamen is in ſingulis, & in omnibus pulcerrima quadam eluceſcit analogia. Cùm igitur in hac vniuerſitate debeant eſſe res diuerſiſsimę, quæ neceſſariò in vnũ conuenirent, factum eſt, vt commodiſsimis quibuſdam medijs inferiora rurſus ad originem ſuam primam & ad ipſam æternitatẽ

reuocentur. Homines enim & mentes mun do præeſſe voluit Deus, qui & eius maximam quandam ſimilitudinem continerent, & illi per gratiam conglutinati, cum ſuperioribus inferiora in pulcerrimum quendã ordinem coniungerent: ſic vnius ſummi virtute cuncta comprehenſa ſunt, & etiam infima cum ſummis per ſua media ſunt optimè connexa. Medium autem accommodatiſsimum humana natura fuit, in qua mens cum corpore, & illa cum illis æternis, hoc cum his externis naturali vinculo teneretur, de quo latiùs diſputat in Timæo ſuo diuinus Plato. Cùm autem hæc ſimulacra corporea cum puris ſuis exemplaribus conueniant, in homine per ſenſum & intellectum ambæ viciſsim ſingulares communesque veritatis ideæ conſentiunt in vnam mutuam cognoſcendi naturam. Sed tamen hominum felicitas hac humana cognitione nondum eſt contenta. Nam cùm natura noſtra cum diuina per gratiam quoque deberet eſſe coniuncta, ſuas vtraque conſentaneas alteri quidem: at tamen vtraque ſuas leges habet, inter quas ſuperiores illæ diuinæ tenent principatum. Itaque ſi qui naturali ratione non tantùm diuinam voluntatem, qua naturæ leges continentur, ſed & eam, qua naturæ leges factæ ſunt, & aliæ multæ huius naturæ legibus ſuperiores,

Homo eſt tanquã medium vniuerſitatis.

Senſus compræhendit ſingularia, mẽs vniuerſalia, & in vtriſque cognitio noſtra conſiſtit.

Ratio nõ iudicat de ijs, quæ naturæ ſũt ſuperiora.

res, planè ſcire volunt, proculdubio vehementer à veritate aberrant. Nam ratio noſtra ſolo rerum ipſarum animo concepta natura & ordine conſtat, quo non coërcetur is, qui tam ordinem omnem, quàm rationem ipſam, fecit. Ergo ſecundum leges, non autem vnquam de legibus naturæ vel gratiæ noſtra debemus auctoritate iudicare. Qui humano potiùs ingenio quàm auctoritate diuina freti, rationem diuinæ voluntatis quærunt, quam quidem etiam ipſa ratio monſtrat nulla ratione compræhendi poſſe, eo ipſo profectò turpiter deſerunt omnem rationem. Aliquid igitur, imò multum, vel potiùs omnia, ſiquidem in eo ſunt omnia, vt inquit Plato, naturæ rationique superiora ſunt, à quibus, vel à quo potiùs vno, qui perfectè continet omnia, poſsidet vnum quodque quicquid habet: vnde cognoſcere licet, in alio quàm humano conſilio felicitatem noſtram eſſe, ad quod quidem omnes actiones noſtræ, ſiquidem veræ beatitudinis participes eſſe velimus, ſunt inſtituendæ. Nam quanquam & his externis veritatis imaginibus nos oblectari permiſit Deus: quanquam pulcrum illius Solis rutilum iubar eſt, & formoſiſsima facies Lunæ ſerenæ: quamuis ceterarum Stellarũ tam varius ſplendor, gemmarum nitor, herbarum animantiumq; vis & forma cuiſque In Parm.

que

que placere poſsit: tametſi pulcra ſint hæc ſingula & pulcerrima quæ conſtat ex his omnibus rerum natura, tamen hîc nihil fer mè tam perfectum eſt, quin perfectius aliquid excogitari poſsit, & hæc cuncta vario maximoque boni defectu laborant, ſi cum illo perfecto conferantur: quod etiam ni eſſet, exercendæ virtutis magna materia nobis deeſſet, nec eſſet quod alteram illam vitam abſolutam tam vehementer expetendam putaremus, quam omnes qui bene iudicant, quoniam feliciſsimam ſciunt, meritò ſummis votis expectant. Certè conducebat nobis, vt non tantùm deſiderio bonorum alliceremus, ſed etiam odio malorum compelleremus ad ipſam illam æternam perpetuamque felicitatem. Sic homini reliqua cuncta, ſed ipſe Deo ſibique ſeruit, dum per gradus ad primam ſuam originem continuò recurrit: nam hæc naturæ veritas eſt craſsior & impurior, quàm vt in ea ſæpe, nedum continuò ſit verſandum: purior in animis & mentibus, puriſsima rerum omnium veritas eſt in Deo, in quo nobis demum eſt conquieſcendum: cùm ipſe ſumma veritas omnium rerum ſit, quæ non habeat aliquid adiunctum falſitatis. Ipſum verò, niſi eum ſumma ſapientia deſtitutum eſſe dicere velimus, proculdubio ſuipſius veriſsimam perfectiſsimamque quandam

Imago Dei in Deo.

imaginem

imaginem mente concipere non negabimus, ad cuius aliquando ſimilitudinem expreſsit hanc rerum omnium naturam. In illa depicta eſt perfecta hominis ſpecies, perfecta Solis, perfecta mentis & huius totius vniuerſitatis. & mentes quidem beatæ pro viribus exemplar ſuum ſemper imitantur: natura ſemper quoque ſuas adimplet egregiè partes: ſed homines penitus aberrarent omnes, niſi inter eos vnus eſſet optimus artifex, qui manum noſtram ipſe duceret, & egregiè dirigeret penicillum. Iſte ſolus abſolutiſsimè exprimit ſpeciem humanam, quoniam in ſe continet ipſiſsimam effigiem diuinam: ceteri verò tantò perfectiùs, quantò propiùs eum imitantur. At qui deſtituuntur hoc optimo magiſtro, neceſſarium eſt vt prorſus aberrent, turpiſsimaque monſtra confingant, quorum tamen comparatione multò pulcriores fiant imagines illæ diuinæ, & omnium abſolutiſsima illius artificis imago, in qua ſuis veriſsimis lineamentis perfectiſsima ſunt, quæcunque vel in cœlo vel in terra præclarè geruntur. Nam eatenus cuncta vel eſſe, vel egregiè aliquid facere poſſunt, quatenus illius ſummi characterem aliquem continent, cuius veritas & pulcritudo perfecta tantùm ſit in ipſo ſigillo. Certè quemadmodum nos omnes hominis primi corru-

ptæ naturæ participes ſumus, ita per gratiam ab hominis perditi natura in aliam abſolutam mutari debebamus, vt ſummi boni verè participes eſſemus. Cùm enim, non quemadmodum incorporatæ mentes, ſic & omnes homines ſimul facti fuerint, ſed ab vno corrupto corruptelam omnes contraxerint, quam ipſi, tam peccati ſordibus contaminati, nequaquam eluere poſſent; ideo nobis vno abſoluto fuit opus, à quo felicitas in naturam humanam propagaretur: propter arctiſsimam in eo ſummi boni humanæq; naturæ cõiũctionem, cui ſimus nos etiam per gratiam eius arctiſsimè coniuncti. Cùm igitur vnus ſit, qui & æternam & Dei beneficentia factam perfectionem humanam in ſe continet, eum auctorem & conſeruatorem noſtræ felicitatis non dubitamus appellare, in quo, tametſi propter has miſerias continentur hic, ingemiſcamus & etiam nobiſcum ipſa rerum natura, ſummis animi virtutibus viuimus, quarum

Fides. fides eſt ſolidiſsimum fundamentũ. Quanquam autẽ inquiſitione veritatis nos quoq; multa diſcere poſſumus, ea tamen omnia potiùs humana ſunt, quàm diuina, quibus Deum, qui infinitis menſuris nos ſuperat, intelligere non licet. Quoniam tamen ab eo cuncta fiunt & conſeruantur, quo noſtras actiones ad proprium inſtituamus finem,

finem, eius proculdubio cognitione nobis eſt opus. Itaque ſingulari erga nos beneuo-lētia neceſſariā ſui cognitionem nobis dedit, qua cerneremus ea, quæ alioqui nunc cernere non poſſumus, & tamen poſtea nos clariſsimè viſuros eſſe ſperamus. Per ſpem enim cælitus acceptam adeò nos confidimus de beneuolentia Dei, vt per hanc nos omnino felices eſſe futuros putemus. Qui verò pulcritudinis omnis & rerum omnium bonarum vnicum auctorem cognouit, & aliquando per eius fauorem illius pulcerrimo conſpectu ſe perpetuo fruiturum confidit, incredibili quodam accenditur amore, quo cum eo planè coniunctus in vnum, ſe omniaque refert ad eum vnum, cui proculdubio cuncta debentur. Hæc autem virtus charitas appellatur, quæ tenet inter reliquas omnes principatum. Sed tamen hæc omnia ſunt hic denſa quadam caligine obducta, ſi conferamus cum ijs ſpectaculis, quibus poſtea iucundiſsimè fruemur. Hic audimus veritatem multis ænigmatis inuolutam, illic autē audiemus apertam: hic tanquam in carcerem concluſi, temporaria cæcitate tenemur, & tantùm pauca quædam percipimus eorum quæ foris geruntur, ibi verò cum ſumma voluptate cuncta cernemus in clariſsima luce: quæ quidem vt ſanos oculos maximè oblecta-

re, ita oculos mentis exulceratos vehemen tiſsimo dolore ferire poteſt. Verùm vt humana quoque natura particeps eius felicitatis eſſet, opus erat aliquo perfectiſsimo, qui non tantùm voluntatem & mentem humanam, verumetiam diuinam ipſam, arctiſsimè ſemper cum ea coniunctam, qui pariter veriſsimam & abſolutiſsimam hominis ſpeciem, & illam pulcerrimam rerũ omnium factarum exemplarem imaginem, adeoque Deitatem ipſam contineret. Hic igitur meritò rerum omnium dominus eſt, qui non homo tantùm, ſed etiam Deus ſit, non modo quemadmodum nos gratiæ diuinæ participatione, ſed indiuidua & inexplicabili naturæ diuinæ cum humana conſpiratione. Is autem ipſe verè finis omnium noſtrum eſt, ad quem omnes operationes noſtræ nobiſcum tendunt: cum eo, per eius vnius gratiam, non tantùm voluntatibus, ſed inſuper & naturali quodam vinculo arctiſsimè coniuncti, perpetua tandem felicitate perfruemur. Humana natura, præſertim iam vſque adeò debilitata, non potuit ad diuinam adſurgere felicitateque ſua potiri, niſi diuina ſeſe prius ſummiſiſſet ad humanam, & hanc ſui participem, imò in vno plenam feciſſet. Non ergo tantùm ad ſimilitudinem Dei facti ſumus, ſed etiam per Dei miſericordiam eum ipſum inter nos, &

in nobis verſantem habemus, qui non tantùm perfectam naturam humanam ex ipſiſſima ſpecie mẽtis diuinæ abſolutiſsimè expreſſam continet, ſed etiam veriſsima Dei Opt. Max. imago, adeoque verus ſit Deus. Is qui veritatem omnem intelligit, qui hæc omnia & ex omnibus vnam formam vniuerſitatis fecit, ex omnibus bonis hominibus vnum ſuum tanquã corpus conſtituit, cuius omnes partes arctiſsimè conueniant in vnum: nimirum quæ ex ipſo veritatis ſapientiæque diuinæ principio ſpiritum vnũ hauriant, qui pariter eas ad æternam felicitatem gubernet, & etiã vnius perfecti corporis humani, cuius per ſingularem Dei beneuolentiã participes fiunt, firmiſsimo ſanctiſsimoque vinculo continentur, ac in vnũ cum Chriſto Deoque planè coniunguntur: quod quomodo fiat, quomodo corpus idẽ in diuerſis locis eſſe poſsit, ex ijs quæ priùs diximus de libera Dei poteſtate, in qua tota, cum omnibus ſuis temporibus, locis & dimenſionibus, eſt rerum omnium natura, facilè intelligi poteſt. Ea quidem plurima comprehenduntur, quæ non ſunt huius vniuerſitatis legibus expreſſa: quod niſi fateamur, maxima noſtrę religionis myſteria, vt reſurrectionem corporum, & Chriſtum ipſum negare cogemur. Vt autem de veritate corporis Chriſti minùs dubitaremus,

is qui mentiri fallereue nequit, cùm eam adeò neceſſariam nobis eſſe sciret, tā apertis tamque certis verbis expreſsit, quæ nullam prorſus aliam interpretationem admittant: cùm ex plurimis alijs ſacræ ſcripturæ ſententijs multiplicem quis ſignificationē accipere poſsit. Communes enim voces, vt inquiunt Philoſophi, qualitatem quandam ſignificant, vt cùm Chriſtum vitem, panem & petram eſſe dicimus, à qua ſimilitudines ad alia multa trāsferamus: in pronunciato verò propoſito voces omnes ſunt ſingulares. Quanquā autē plura ſingularia inter ſe conferri poſſunt, vt quemadmodū primū ad ſecūdum, ita tertiū ad quartū eſſe ſciamus: veluti dū acta veteris teſtamēti cū nouo, cuius vmbrā & imaginem gerunt, cōparamus, tam impoſsibile tamen eſt, vnum ſingulare abſolutè & verè de alio pronunciari, quàm vel idem corpus in diuerſis locis eſſe, vel dimenſionē corpus aliquod nō habere. Cùm igitur impoſsibile ſit verborum, quibus corporis Chriſti veritas nobis traditur, aliā interpretationē inuenire, nec impoſsibile ſit Deum, ea quæ dixit facere: neceſſariū eſt, vt eorum certā ſignificationē admittamus, aut vt ſcripturam atque religionem noſtram euertamus, & eum, qui, vt ipſa veritas eſt, ita mentiri non poteſt, qui mendacem eſſe confiteamur. Sed iam ad-

Ariſt.l.4 de gen.a-ni.c.3.

mo-

modum latè nos in has res grauiſsimas digreſsi ſumus, vt noſtram cum ſummo bono coniunctionem inueniremus, quam ad Rempub. bene conſtitutam planè neceſſariam eſſe dubitare non poſſumus. Neceſſarium eſt, ab illa immenſitate, ea quæ ſuis hic temporibus ſunt dimenſa comprehendi, neceſſarium eſt tam hanc naturæ, quàm illam ſub fidei velo reconditam veritatem, in apertiſsimæ clariſsimæque veritatis æterna luce contineri, hanc vitam cum morte coniunctam, in ea vita, quę, quoniam indeficiens eſt, & ſola reddit omnia viua, non tantùm interitum nullũ agnoſcit, ſed mortem ipſam in iucundiſsimam vitam commutat, deniq; omnia bonã noſtra, ſi quidquam futura ſunt, neceſſe eſt, vt ſint in illo ſummo bono, ſine quo & reliqua cuncta, & felicitas, quæ in boni ſenſu eſt, confeſtim euaneſcant: corpus enim animam, anima mentem, mens ſummũ bonum ſpectat, cuius vnius viribus omnia demum bona fiũt. Plo. de bo. & al.
Quapropter cùm optimum in optima Respub. & in alijs etiam rebus omnibus finem proponi deceat, & ad eum conſequendum optima quædam adhiberi inſtrumenta, non mirum eſſe debet, quod proponamus hic nobis ſummum bonum, ad quod omnes actiones noſtras inſtituamus: quod idem Philoſophi facere ſolent, cùm ad illud bo-

num immotum ,hoc eſt ſummum , cuncta ferri dicunt , præcipuè tamen artem Reip. quæ reliquas omnes cōprehendit , & dum felicitatem Reip. finem aſſerunt, quàm definiunt vitam iucundam , ſecundum perfectam virtutem,per ſe expetendam,& etiam energiam præcipuæ noſtræ partis , nimirū mentis, quæ libenter in æternitate circa ſummum bonum verſatur. Non quod hic finis in omnibus , etiam in mechanicis & alijs infimis operationibus neceſſario conſiderandus ſit (niſi quatenus virtus ſpectatur , quæ ſemper ad ſummum bonum contendere debet)ſed quòd is,quem dixi, vltimus Reipub.finis ſit,ad quē ipſa tota, quatenus fieri poteſt , ab eius moderatoribus eſt gubernanda:quanquam inferiores varij ſint rerum & hominum gradus, qui tamen omnes ad illum ipſum ſuis ordinibus referantur,ab ijs qui verè ſapientes ſunt , & latiùs atque altiùs vident , quales Rerumpub. rectores eſſe decet . Cùm autem hæc non parum ad Rempub. pertineant,nemini mirum videri debet , quod hîc paulò latiùs excurram: id enim mihi ſæpius faciendum eſſe puto . nec etiam nimis vel latè vel frequenter dici poſſunt ea , quæ nulla oratione ſatis explicari queant,& debeant animis ſemper obſeruari , omnique oratione celebrari. Quanquam igitur varij rerum & ho-

Ariſt. ad Nico. li. 10. cap. 6. & 7.

hominũ gradus ſunt, & ſinguli fermè ſunt proprijs ſuis operationibus, vel ab ipſa natura, vel inſtituto vitæ deſtinati, quanquam etiam leges, cùm ſe negotijs & ingenijs accommodent, videantur eſſe debere diuerſæ, tamen omnes eundem ſibi ſcopũ proponant, à quo viris bonis & ſapientibus mentis aciem, præſertim in negotijs grauioribus, deflectere nunquam licet. Quòd autem ad finem ſuum, quanquam is vnus ſit, diuerſi diuerſis itineribus contendant, minimè mirum eſt: ſiquidem ab eo non pari cùm interuallo tum ſitu locorum diſtãt. Cùm enim humana vita nihil aliud quàm peregrinatio quædam eſſe dicatur, & multæ variæq; virtutis viæ ſint, oportet ea quẽque progredi, quam tenere poteſt, niſi per inuia periclitari moleſtijsque varijs confici malit. Quòd ſi viæ ſint admodum inter ſe diſsimiles, tamen difficiliores & remotiores in alias meliores continuò deſinunt, donec, cùm ad locum deſtinatum proximè ventum eſt, omnes coëant in vnum. Itaque cùm quieſcere non debeant illi qui faciunt iter, donec peruenerint ad propoſitum finem, neceſſarium eſt, vt ſiquidem in vno poſita felicitas omnis eſt, is in omnibus, qui felicitatem petunt, planè ſit idem. Ab hoc autem qui in contrarium recedunt, per innumerabiles vias incidunt in infinitos intelli-

Vita noſtra peregrinatio.

gendi & viuendi errrores. Et hactenus de fine felicitateque noſtra ſatis multa dixiſſe videmur: tametſi, cùm in eo ſint omnia, nobis in eius mentionem ſubinde veniendum erit. Sed abunde iam oſtendimus quas res internas in ſingulis & in omnibus ciuibus potiſsimùm requiramus: nam cùm ex animo conſtent atque corpore, quid in vtroque maximè conferat ad cuiuſque Reique pub. felicitatem, & in quo poſita præcipuè noſtra felicitas ſit, iam eſt demonſtratum.

De rebus externis, & imprimis de Auxilio diuino. CAP. IIII.

QVONIAM verò natura comparatum eſt, vt homines vitam ſuam & dignitatem ſine præſidijs externis tueri non poſsint, de ijs deinceps dicemus. Eorum alia planè neceſſaria nobis ſunt, vt ea quibus humana natura conſeruatur, alia tametſi conducãt, eiuſmodi tamen ſunt, vt ijs quis poſsit ſine magno vitæ ſuæ periculo carere: & hæc rurſus omnia, vel ad animum pertinent, vel ad hanc inferiorem corporaturam. Cùm igitur homo non tantùm hanc imam terram pedibus contingat, ſed vertice ſeſe etiã per maximos illos omnium cæleſtium corpo-

rum circuitus in ipſam æternitatem extendat,& cùm vnum tantùm ſuapte natura potuerit eſſe perfectum, ac reliqua poſtulent omnia quibuſdam externis auxilijs, Deiq; beneficẽcia iuuari, ſumma pars animæ, quæ circa diuina verſatur, nec non & reliqua cuncta, ſed hæc eximiè diuinam opem requirit. Neceſſarium eſt enim, quemadmodum etiam ex ijs quæ diximus eſt manifeſtum, vt hauriat inſigniter à Deo ſpiritum vitalem & altricem ſuccum, quo ſuſtentetur, regatur, & ſuum tanquam incrementum ſumat. Quemadmodum enim radij Solis, quanquam ab eo diuerſi, ſuam non tantùm naturam, ſed etiam conſeruationem illi debent, ſic quidquid bonum eſt, aut eſſe poteſt, id à ſummo bono & fit, & etiam ab eodem conſeruatur, & quantò meliora ſunt omnia Deoque proximiora, tantò virtutem eius ſentiunt euidentiorem. Varietas autem rerum & animorum, nec hîc, vt nec vſquam alibi, ſummam in omnibus æquabilitatem admittit: verùm oportuit vt, cùm vnus omnium principium & finis ſit, omnia ſic inter ſe diuerſa ſint, quę per ſuas analogias digerantur in hanc pulcherrimã formam vniuerſi. Non igitur pares beneuolentiæ diuinæ fructus percipiunt omnes, ſed tamen in ijs, qui vt verè homines ſunt, ita finem hominibus propoſitum aſſequentur,

Diuino auxilio quomodo nobis ſit opus.

tanti ſint, qui ſic animos eorum reficiant, vt pietatis negotijs ſibi neceſſarijs ſint pares. Cùm autem artifex ille ſummus nullius indigeret, & in eorum quæ fecit vtilitatem omnia inſtituerit, non omnium quidē, ſed eorum præcipuè, qui tenerent in omnibus principatum, hominum ſcilicet, & quidem optimorum, & cùm ijs pro conditione cuiuſque ſit opus ſpiritu diuino, quo continuò recreentur, id ſine quo eius felicitatis aliquo modo particeps quis eſſe nō poſſet, neceſſarium, id quo ſuperat vnus alterum, vtile poteſt appellari. Non quidem omnes parem felicitatis gradum obtinent, & quiſque tenere cupiat aliquem illuſtrem: attamen omnes huius claſsis beati ſunt aut erunt, & quæ ad eam vitam neceſſaria ſunt omnes, non tamen omnia quę ſunt vtilia pariter habent: Quid autem id ſit quod ad felicitatem neceſſarium eſt, ſacris legibus ſatís eſt expreſſum, vt etiam & reliqua præmia beneuolentiæ diuinæ. Præter naturam noſtram igitur, præſertim hāc corruptam, legibus etiam ſacris, & ſingulari Dei beneuolentia nobis omnino fuit opus. Verùm cùm omnia bona miris modis inter ſe cōueniant, & ab ipſa natura comparatum ſit, vt à ſuperioribus inferiora iuuentur, & ab his illa viciſsim colantur; æthereæ mentes nobis multò ſuperiores, & Deo ſeruiunt,

Angeli nobis vtiles.

& nobis etiam vtilitatem diuinæ prouidentiæ conſentaneam ferunt. Quapropter nos & in ijs,& in nobis, & in omnibus diuinam erga nos beneficentiam ſentimus.

De rebus corporeis et imprimis de Elementis. CAP. V.

POST res illas diuinas adhuc alia multa partim ab ipſa natura, partim humana quadam induſtria fiunt, & vel animis noſtris vel corporibus ſeruiunt: imò nobiſcũ omnia ſeruiunt gloriæ Dei. Inſtrumenta verò præcipua, quibus animus in hac natura verſatur, ſpiritus quidam ætherei ſunt, qui motu poſituque ſiderum conueniunt in compoſitionem humanam,quemadmodum clariſsimi Philoſophi ſcriptũ reliquerũt:& nos etiam alio loco ſumus latiùs demonſtraturi, quomodo non tantùm quatuor elementorum,ſed etiam contemperatione corporum cæleſtium omnia fiunt. Cùm autem diuerſis tẽporibus & locis variæ ſint ſiderum vires, hinc eſt tantum rerum omnium diſcrimen, quantum à nobis vel diſcerni vel explicari nequit. Non enim tam exacta rerum temperies eſt,quin à mediocritate diuerſiſsimos defectus & exceſſus,modò nimij non ſint, admittat natura,

Spiritus ætherei in nobis. Pla.in timæo. Ariſt. l. de ge.a ni.2. Lib.2. de Vniuer.

& adeò quidem admittat, vt nunquàm hîc aliquid videat, quod ſit omnibus ſuis numeris abſolutum. Ita varij rerum gradus ſunt, & multa nobis hîc neceſſaria, ſine quibus viuere nullo modo poſſemus, multa quoq;, ſi non neceſſaria, talia ſunt tamen, vt ſine ijs ſalutem & dignitatem noſtram non poſsimus egregiè tueri. Hæc autem à magiſtratibus omnia diligenter conſiderari, & earum rerum periti frequenter in conſilium adhiberi debent: nam id non mediocriter confert ad Reſpub. vel conſtituendas vel conſeruandas. Ita legimus multas malè poſitas, fame, peſte vel alia fortunæ vi ſubitò perijſſe, nonnullas magiſtratuum ſapientia, qui rebus periclitantibus remedium adhibere ſcirent, ad aliquod tempus egregiè conſeruatas eſſe, raras bene fundatas & gubernatas ſuum imperium in magna temporum & locorum ſpatia extendiſſe. Scimus etiam nouos naturæ motus exoriri ſolitos, quibus vel optimus rerum ſtatus labefactetur, quos nonnunquàm viri ſapientes & præſagire & auertere poſſunt. Sanè quia plurimùm natura, præſertim illa cæleſtis poteſt, plurimùm refert, ad res omnes cùm priuatas tum publicas rectè componendas, vt illam diligenter inueſtigemus. Reliqua verò quatuor elementa corporis noſtri, quia ſenſui propiora ſunt, euidentiùs cognoſcun-

Elemen-torũ cõ-ſtitutio.

gnoſcuntur, nec aliquis eſt, qui ea neceſſaria neget ad vitam: non enim poteſt ſtatim non interire Reſpub. in qua vel deficiunt hæc vel corrumpuntur. Aëris namque contagio ſæpè totas regiones euertit, & aquarũ confluxu vel defectu legimus, & experti ſumus, multas vrbes miſerrimè perijſſe: caloris etiam exceſſu vel defectu magnam orbis partem incultam eſſe ſcimus: nec poteſt in ſolo admodũ ſterili felix eſſe Reſpub. quãtumuis ciues habeat bene formatos. Sint hæc igitur omnia, ſi nõ optima, ſaltem mediocria, & ijs optimè ciues omnes vtantur, vt & corporis neceſſitatibus & alijs commoditatibus ſeruiant, & ijs omnibus virtus & pietas non modò non lædatur, ſed ſemper prouehatur. Idem eſt etiam in reliquis omnibus, quæ terra producit obſeruandũ, vt ad incolumitatem & ſalubritatem conferant, & potiſſimùm ad virtutem. Itaque conſiderandum, quid boni maliue ſingula proferre poſſint, vt illud quidem ſemper quàm maximum, hoc autem, ſi planè vitari nequit, quàm minimum eligatur. Primùm, neceſſarium eſt, vt viuant ciues, vt alimentum & tegumẽtum iuſtum habeant, & etiã ea quibus morbos & reliquas iniurias ingruentes repellant: eſt etiam optabile, ſi fieri poteſt, vt commodè viuant, modò cõmoditas ea ſemper referatur ad pietatem.

Terra quomodo colenda.

Quan-

Quanquã autem externa bona diuiſa ſunt in ea quæ ſingulari Dei beneuolentia, quæ ab ipſa natura, quæque hominum induſtria proueniunt, ſingula tamen in omnibus fermè partem ſuam aliquam habent: nam inuitus nemo fauorem diuinum percipiet, ac natura quoque diuinũ & humanum auxilium requirit, & ſine gratia naturaque nullæ fuerint noſtræ actiones: ſed tamen diuinum auxilium, cùm in omnibus neceſſariũ ſit, & nunquam non optimum eſſe queat, reliquorumque bonorum omnium ſit cauſſa, in omnibus longè principatũ tenet. Natura verò cùm noſtra tum externa, quoniã iam multis modis eſt debilitata, & tam inſtrumenta malorum quàm bonorum proferre ſolet, cauendum eſt, ne nos vtilitatis ſpecie miſerè decipiamus, ne virtutem vtilitati falſæ poſtponamus, ne minorem vtilitatem pro maiore, aut etiam interdũ pro lucro damnum accerſamus: nam multa tã varijs circumſtantijs & difficultatibus inuoluta ſunt, vt non niſi maxima inquiſitione clariſsimoque iudicio poſsint inueniri. Aliud alijs locis & temporibus & etiam hominibus vtile eſt, ciuitatum etiam magnum & multiplex eſt diſcrimen: quædam maritimæ ſunt, aliæ mediterraneæ, nonnullæ populoſæ, multæ parũ habitatæ, & vel ditiores luxuique magis deditæ, aut ſunt etiam

Ciuitatũ differentiæ.

quàm

quàm oporteat pauperiores, & vel munitæ ſunt contra quaſuis vel præcipuas iniurias, vel obnoxiæ quibuſuis externis malis: & aliæ ſunt innumeræ differentiæ,quæ quidem omnes oratione cōprehendi non poſſunt, & per ſingulas ciuitates diligenter conſiderari volunt:vt cognoſcamus, quid ex vnoquoque vitij vel virtutis, damni vel vtilitatis oriatur, illudque quatenus fieri poteſt reſecetur,hoc autem diligentiſsimè foueatur.Ita videmus peritos agricolas hos agros hoc pacto,alios alio colere,nec ſemper eodem ſemine,ſed hoc cælo hac arte,alio non eadem vti.nam quàm vehementer temporum & locorum interuallis res & homines mutentur, notius eſt, quàm vt probari velit:at neceſſarium eſt pariter rationem ipſam gubernandarum ciuitatum permutari. Quapropter,quid, & quo tempore locoque ſit honeſtum & vtile videndum eſt, publicumque priuato ſemper præferendū, & quod ad animum pertinet corporis bonis & externis.Hæc autem potiùs vtilis, vel iucundi, vel delectabilis proprium nomen habere videntur,illa potiùs honeſti, ſeu recti,ſeu laudabilis,ſeu quodcunque aliud nomen imponere libet: quanquam & honeſtum dici poteſt quodq;, quatenus ad ſummum bonum rectà tendit: vtile verò,quatenus illud idem in noſtros vſus & in noſtrā feli-

Vtile & laudabile quid.

felicitatem redundat. Verùm de animi corporiſque bonis antea ſatis multa dicta ſunt. Nunc autem externa fuerant à nobis conſideranda, quæ tamen, quoniam ad corpus & animum pertinent, quemadmodum iam ſæpè diximus, oportebit, vt ad illa priora bonorum genera ſubinde recurramus. Nihil enim eſt in tota natura rerum, quod nos adhortari non poſsit & debeat ad virtutē: nec tam facta eſt hæc vniuerſitas, vt noſtri corporis neceſsitatibus ſeruiat, quàm vt animos noſtros excitet ad rerum diuinarum cognitionem: nihil in ea eſſe fieriue poteſt, quod pios homines ad Dei Opt. Max. admirationem, laudem & amorem non accendat. Nos ènim ob id ipſum in hoc celeberrimo ſanctiſsimoq; mundi templo ſumus, vt eum aſsiduò veneremur, cui totúm èſt dedicatum. Ergo neceſſarium èſt, vt præcipuas noſtras actiones & rerum externarum etiam vſum ſemper ad Deum referamus.

Temporum et locorum oportunitas quòmodo ſeruanda. CAP. VI.

QVONIAM autem quæcunque facimus ſuis temporibus & locis circumſcripta ſunt, & in ijs ipſis magnas occaſiones habent, quibus meliùs aut deteriùs fiāt, ideo ſtata quędam

dam tempora locaque ſunt à viris diuinitùs afflatis & ab ipſo Deo inſtituta, quibus præcipuè pietatis negotia gereremus, ita tamen vt interim alijs temporibus & locis oportunis, ea non intermitteremus. Dici verò non poteſt, paucis diebus ademptis in anguſtum occaſiones rerum gerendarum concludi, nec terram coli, nec ad vitam neceſſaria quæri poſſe. Non enim tantùm eo tempore homines ociari videmus, ſed plurimos etiam reliquo, quod laboribus eſt deſtinatum: & etiam illi quibus minimè ceſſandum eſt, intermiſsionem aliquam operis requirunt, qua quidem religionis antiſtites ad negotia pietatis meliùs tractanda nos vti volunt, in quæ, quoniam ordinem aliquem vitæ ſequi debemus, ſtatis temporibus vnanimiter & ardentioribus deſiderijs incumbamus: cùm interim per Dei miſericordiam rerum natura ſemper pro nobis, etiam quieſcentibus & dormientibus, laboret. Cælorum orbes nunquã ſuos curſus, quibus rerum omnium viciſsitudines tranſigãt, intermittunt, nec terra ceſſat nobis vnquam dulciſsimos ſuos fructus proferre: proferret etiam multò vberiores & meliores, niſi ſterilis noſtris vitijs fieret & impietate: ideoque virtutibus maioribus nobis opus eſt, & commercio rerum diuinarum, quo reddamus eam magis fœcundam.

dam. Commercium iſtud diuinum, ſiue beatum otium, ſiue grauiſsimum potiùs mentis negotium appellare velimus, dubium eſſe nequit, quin nolit iſtis externis impedimentis perturbari. Neceſſarium eſt igitur, vt aliquas occaſiones habeamus, quibus Deo liberiùs ſeruiamus, & tamen interim alias omnes conducibiles vndique captemus. Ideo templa quoque rebus diuinis conſecrata ſunt, in quæ nos à tumultibus reciperemus, quò poſſemus commodiùs de religione negotijsque ſalutis noſtræ cum Deo tractare. Quoniam igitur non tantùm animi puri, ſed homines, hoc eſt ex animis corporibusq; compoſiti ſumus & hîc cōpoſita negotia ſemper exercemus, operæpretium eſt, vt quęcunque ſenſibus obuia ſunt, præſertim in templis, ad virtutem & pietatem conducant, & vt ea quæ lædere videntur religionem, ab ijs omnia prorſus excludātur: ne ſummos ibi viri boni dolores accipiant, vbi maxima vitæ ſolatia quærunt, & malis præbeātur occaſiones grauiùs peccandi, vbi debuerant à vitijs ad virtutē omnem reuocari: nam dubium eſſe nō poteſt, quin temporum & locorum circumſtantijs crimina maiora fiant. Quapropter nihil ſit vſquam, minimùm tamen in templis, quod ad impietatem vllam inuitet, nihil ſit quod non ad pietatem omnem, quantum

fieri

fieri poteſt, nos accendat. Ad hanc etiam vnam omnes ceremoniæ referantur: quæ ſi nimiæ ſint, animum tam grauare quàm attollere poſſunt: neceſſariç non tantùm ſingularem quandam noſtrç ſalutis virtutem continent, ſed etiã à corporum vmbris ad rerum diuinarũ inſpectionem nos tanquã manu ducunt. Oportet autem, vt ab iſtis externis ſignis ſenſim ad rerum diuinarum recordationem perueniamus. Huc etiam omnes imagines, huc omnes cantus & cõciones ſpectent: in quibus, & in omnibus alijs, diligenter obſeruemus, vt nihil indecens ſit vnquam in templis, ac nõ vehemẽter religioſum. Res ſacrç nihil admittũt, niſi quod omnino ſerium ſit atque ſeuerũ: ludicra verò omnia, que ſuapte natura ſtulta ſunt & inepta, ſi propter ſtolidã noſtri partem, ad contentioris animi relaxationẽ interdum vtilia ſunt, vel in foro vel priuatim in ædibus, non autem in templis exerceantur. Certè legimus ſapientiſsimos omnes, præcipuè tamẽ Chriſtianos, ab huiuſmodi ineptijs plurimũ abhorruiſſe. Nec exigua quis hæc eſſe dicat, quæ cùm ſemper fertilliſsimè creſcant, tandem etiam maxima fiunt. Cùm enim omnes ad iſtas leuitates ſimus admodum proni, cumq; nos illa ſtulta voluptas natiuis quibuſdam lenocinijs ad ſe ſemper trahat, ac etiam ea vis il-

Ceremoniæ.

Ludicra quomodo exercenda.

lecebrarum ſit, vt quantò propiùs admo-
uentur, tantò maiorem habeant poteſtatē, ſi nos in eas demiſerimus, haud eſt perinde facile gradum reuocare. Ideo putarunt veteres, ſapientiſſimi ſanè viri, circa hæc principia, quæ tametſi leuia videtur, graues tamen habent exitus, eſſe ſummam quandam diligentiam & animaduerſionem adhibēdam. Scimus quidē eſſe neceſſariam remiſsionem, ſed non adeò frequentē, ſcimus relaxandas eſſe vires, ſed non deponendas & eneruandas. Nam ſeria nō eiuſdem omnia generis ſunt, non parem animi contentionem requirunt: alia totum robur poſtulāt, alia verò tantùm dimidium. Quemadmodum autem in fidibus contingit, vt interdum quidem intenſiores, interdum etiam chordæ laxiores, ſed obſeruata tamen interim ſemper decenti analogia, pulſentur, ita fieri debet & in animis noſtris, qui cum illis proculdubio maximam quandam affinitatem tenent: vt ſi nolimus conſonas, non ilico pulſare velimus diſſonas, & ſi relinquamus primas, non protinus accedamus ad vltimas: cū intermediæ multæ ſint, quæ certè bene formatos animos magis delectent. Decorū quidem, vt in tota rerum natura, ita & in animis & actionibus noſtris diligenter eſt vbique ſeruandum: tamen inter ceteros ſenſus (vt antea dicebamus) in
oculis

oculis & auribus euidentiùs apparet: quod hi ſenſus menti proximi ſint, & ad cognitionem diuinorum maximè nobis ſint adiumento. Quapropter curandũ eſt, vt ea quæ videntur & audiuntur, præſertim in tẽplis & locis publicis, vehementer nos incitent, & ad rerum diuinarum cultum, & ad humanarũ vtilem inſtitutionem. Verùm turpitudo non tantùm è rebus ſacris & publicis, ſed etiam priuatis eſt diligenter extergenda: nam vbi membrum aliquod laborat, niſi vel ſanetur vel auferatur, neceſſe eſt vt morbus in proximas partes, & tandem in totum etiam corpus ſerpat. Maximè tamen omnium prouidendum eſt, ne illa quę pręcipua ſunt in Rep. corrũpantur; quoniã quantò quid præſtantius eſt, tantò eius interitus ſemper eſt maioris mali cauſſa. Cũ itaq; diuina longè maxima ſint, maxima diligentia circa negotia religionis fuerit adhibenda: In templis igitur imagines omnes religioſæ ſint, ſimiliter etiam omnes actiones: quod quidem nunquam fiet, niſi tales harum rerum ſint magiſtri, qui ſciant egregiè quid in quoque negotio maximè deceat, nimirum multarum rerum & ingeniorum periti. Quapropter oportet vt authoritate publica ſummoque iudicio, qui ſint ad has res accommodatiſsimi, conſtituantur. Forma quæq; rerum & ipſa ſola figu-

Imagines in tẽplis quales eſſe debeant.

ra neſcio quàm latentem in ſe cōtinet energiam: quæ quidem ſenſus noſtros & mentes non mediocriter in hanc vel illam partē commouere poſsit. Ex intimis enim viribus rerum exteriores efflorefcunt, quę per oculos animis noſtris conceptæ, nos occultis quidem ſæpe cauſſis, ſed euidētibus motibus impellunt. Ita fit, vt ſenſibus potiùs quàm rationibus inducti, ab externa ſpecie ſtatim incidamus in latentes quaſdam proprietates rerum, quas etiam inferior animorum noſtrorum vis imitatur, & hæc ſępe voluntatis aſſenſum ſecū trahit. Quis conſpecta mœſta, lachrimoſa miſeraque hominis facie, quanquam ſit duriſsimus, protinus non commoueatur? quis non exhorreſcat intuitus terribile cacodæmonis ſpectrum? quis non molleſcat & eneruetur, qui videat formam venuſtiſsimam feminæ laſciuientis: & quidem ſtatim occulto quodā ſtimulo naturæ, qui frequenter rationis iudicium nequaquam expectet. Qua propter præcipuè nobis proponere debemus ea, quæ nos ad virtutem & religionem admoneant, & artificio tanto formata ſint, vt eo ſolo nos ad pietatem poſsint commouere.

De Cantibus et Concionibus.
CAP. VII.

HOC

HOC etiam in cantibus fuerit diligenter obſeruandũ. Nam quantum interſit decenter canere vel indecenter, ſatis illæ gentes demõſtrarunt, quæ tonos ſuos vel ad virtutẽ vel ad vitiũ ferũtur imitatę. Cùm enim õnes homines, maximę tamen adoleſcẽtes, vehementer delectent, facilè ſi quid vitij continent, idipſum cum voluptate efficaciter in animos audientium effundunt. Mam animus noſter vel numerus, vel numeris, prçſertim harmonicis, ſimillimus eſt, quemadmodum grauiſſimi Philoſophi teſtantur. Qũa propter non tantùm ad honeſtum otium muſica, & ad laboris relaxationem, ſed etiam ad quęuis negotia nobis conducit: ſi quidẽ, quemadmodũ Ariſt. fatetur, cũ artẽ pingendi pulchritudinem rerum nobis demonſtrat, quæ cognita noſtros animos non allicere nequit. Sed cum eximia cuncta rara ſint, & turpia propemodum infinita, cũque muſica varia ſit, nec etiam quæ laudabilis omnibus ingenijs & negotijs cõferat, in ea bene diſcernenda non leue iudicium fuerit adhibendum. Dorius tonus mediocritatem maximè ſeruat, in qua poſitę ſunt omnes virtutes: ſed huic etiam rhythmus æquabilis contemperandus eſt, & modus nec remiſſus nimium aut intenſus. Lydius etiam cum Dorio ſuum decorum tenet: ve-

Pla. l. 8. de Rep.

Plato in Time.

Ariſt. 8. Ca. 3. 5. 6. pol.

Toni muſici.

rùm quædam negotia triſtitiam poſtulant, & illis myxolydius flebiliſque vox eſt accommodata. Phrygius autem tubis maximè gaudet, & nos ad iram potiùs accendit, atque idcirco in prælijs vtilis eſſe ſolet. In contrarijs autem negotijs ijs tonis vtendū, qui noſtros animos remittant ad voluptatem aut mœrorem: nam ſemper alterum cōtrariorum alterius affectionem ſanat. Medius autem tonus, vt diximus, omniū maximè conuenit cum virtute: & tamen conſiderandū eſt, in qbus hominibus, tēporibus negotijs, quibus affectibus maximè ſit opus: vt ſemper auditores à vitijs ad virtutes, & res omnes bene gerendas impellantur. Quāquā autē hęc, de quibus nunc agimus, ab hoc loco nō ſunt aliena, nam de ijs tam Ariſtoteles quàm Plato in ſuis Politicis diligentiſsimè pręceperunt, nos tamen iam ad alia tranſeamus. Saltationes verò cum Muſica vehemēter ſunt cōiunctæ: quæ quoniā magis viuæ ſunt, magis nos in vtramuis partem impellunt. Legimus Hebræos, etiam Reges, & ſanctiſſimos quidem, in ſacris pōpis aliquando ſaltare ſolitos: ſed quàm grauem oportet illam fuiſſe ſaltationē, quàm venerabilem, quàm diuinis myſterijs accōmodatam. Dubium eſſe non poteſt, quin honeſti corporis motus nos plurimum incitare poſsint ad virtutem; nam ſi pictura

Saltationes quales eſſe debent.

mortua

mortua non mediocriter mouet, quantò magis nos afficient geſtus viui?& ideo tam diligenter inſtituit eos diuinus ille Philoſophus, qui choræis publicis præeſſent, tanquã eſſet in ea re magna pars ſalutis Reip. collocata. Quemadmodum enim quis facillimè vel fides pulſat, vel penicillum ducit, vel aliud quiduis perficit, cui à pueritia ſtatim aſſueuit, idem etiam accidit, ſi quis diligenter honeſtatẽ venuſtam omnibus motibus didicerit obſeruare: & iccirco ſaltationum primùm artem inuentam eſſe puto, quæ corpus in omnem partem agile prõptumque redderet, cum obſeruatione decori: quod quidem, vt ab animo in corpus, ita viciſsim à corpore per ſenſus in animũ trãſire ſolet. Quapropter & hęc à magiſtratibus inſtituẽda ſedulò ſunt, vt etiam ea quæ in ſcenis iſtis vel publicis vel priuatis aguntur. Quoniam enim tenaciter hærent animis, quæ in theatris ſpectantur, & vehemẽter ad ſui imitationem prouocant, inde, ſi vitioſa ſint, facillime ſumat magnam occaſionem animorum corruptela. Longè verò prõptiſsimè flectuntur pueri: qui iſtis etiã rebus vel maximè capiuntur, quòd ſi verò illis proponantur exempla vitiorum, procul dubio malè formatam pueritiam continuò ſuccedet iuuentus ſenectusque deprauata, filijque & nepotes, non tantùm

Pla.2.&c. 7. de leg.

Scenæ quales eſſe debẽt.

ſuis maioribus ſimiles, ſed etiam aſsidua de generatione multò deteriores. Certè cùm præcipua ſpes ſit publicæ felicitatis in liberali inſtitutione ciuium, oportet, vt theatra nullam occaſionem vitiorum contineant, ſed tantùm præcepta virtutum. Inter ea verò quę percipiuntur auribus, & ad res diuinas conducunt, oportunæ conciones præcipuum locum tenent, in quibus, vt etiam in omni oratione, ſed in iſtis præcipuè, ſeruandum eſt, vt auditores ad omnem virtutem & ad ipſam maximè pietatem impellantur: quod quidem vt commodè fiat, operæ pretium fuerit non ignorare quod ſcriptum eſt à Platone, nimirũ Oratoriam eſſe tanquam animorum noſtrorũ medicinam, & eius peritum tanquam bonum medicũ, animum quidẽ præcipuè, ſed tamen & vniuerſam naturam debere didiciſſe: ita fiet, vt cùm multiplex animorum, quemadmodũ & corporum diſcrimẽ ſit, ijs omnibus ipſe ſe deceter accõmodare ſciat, nã nec in omnibus hominibus, tametſi morbis ijſdem laborent, ijſdem, ſed potiùs quæ conueniant naturali cuiuſque compoſitioni medicamentis vti debemus. Animi verò alij natura vel acuti vel obtuſi ſunt, alij calidiores, frigidiores alij, multi ſunt molles, rari verò fortes, & alijs plurimis modis inter ſe ſunt diuerſi; quatenus ſcilicet diuerſis corporis

Concioſnes quaſnes eſſe debent.

instru-

inſtrumentis ſunt adiuncti, diuerſoque vitę genere ſunt inſtituti. Si verò tam auditores quàm Oratores idem pariter ſibi proponerent, fruſtra dicẽdi labor omnis ſuſciperetur, vt etiam à medico curãdi, ſi corpus per ſe ſufficeret ad optimas operationes: ſed quoniam nobis præſidijs multis opus eſt, quę quidem omnia rariſsimi quidam haberent, ideo diuina beneficẽtia factum eſt, vt à magnis ingenijs rationes rerum gerendarum nobis ſuppeditarentur. Cùm autem ad negotia bene conficienda duobus, cognitione ſcilicet nec non voluntate ſit opus, neceſſarium eſt, vt Oratores primùm oſtẽdant eſſe verum id quod dicunt, ac deinde voluntatis aduerſos motus impediant, prouehant autem quantum poſſunt ſecundos. Veritas rationibus cõparatur, & ijs etiam voluntas impellitur, ſed non mediocriter affectibus animorum incitatur: illę mentis & ſapientię ſunt, hi autem inferioris cuiuſdam naturæ. Itaque ſi quem iratum, triſtẽ, aut aliter affectum ſentimus, protinus cum eo commouemur, præſertim ſi id ipſum ipſa ratio poſtulare videatur. Oportet igitur, vt ſciat Orator, quid potiſſimùm faciendũ ſit, vt erga id quàm optimè ſit affectus, & vt auditores ſibi quàm ſimillimos reddat. Sic enim idem quod ipſe tum intelligent, tum velint. Sed alterius animum non niſi ex ora-

Cognitione et voluntate ad bonas actiones eſt opus.

tione & alijs externis ſignis intelligere licet Hęc igitur veritati cōſentanea ſint, & omnibus affectibus honeſtis: vt talē qualē eſſe deceat ad rē propoſitam Oratorem oſtendant, & ſimilibus motibus etiam auditorē impellant. Verùm in tanta ingeniorum varietate nunquā homines poſſunt eſſe pares, & ita fit, vt eiuſdē orationis in diuerſis animis diuerſus ſit effectus, et etiamſi quemadmodum deceat Orator erga rem præſentē ſit affectus, vt frigidiores vix ad mediocritatem orationis vi perueniant, calidiores autē et celiores vltra modū ſuū efferantur, & vt quiſq; fermè teneat propriū aliquē ab alijs diuerſum cognitionis & deſiderij locū Quoniā itaq; nō ſatis eſt, quòd Orator quā optimè cōſtitutus ſit ipſe, niſi reliquos omnes, vel ſaltem plurimos, aut præcipuos, ſi fieri poteſt, ſui q̃ ſimilimos, hoc eſt ſapientiſſimos et optimos reddat, oportet vt orationem ſingulis & ōnibus auditoribus attemperare ſciat: nam & medicos in diuerſis & contrarijs morbis ita pharmaca miſcere videmus, vt ſemper maius malū propellant, & ex bonis propoſitis optimum conſequantur, ſi perfectam ſanitatem adſequi non poſſunt. Ad eam autem rem magna prudētia magnaque diligentia eſt opus, quā quidem in concionatoribus præcipuè deſideramus: vt & ipſi boni ſint, ac ingeniorū,

morbo-

morborum,& remediorum naturam bene ſciant,vt omnes affectus in omnibus incitent ad virtutem,mentes autem ad ſapientiam,& ad rerum præcipuè diuinarū cognitionē:ad cognitionē inq̄,ſed neceſſariam potiùs q̄ curioſam.Nō enim doctos,ſed potiùs rudes auditores habet,q̄bus nec neceſſe eſt,nec vtile,nec etiam poſſibile, vel omnia vel plurima ſcire: ſed ea ſufficiunt illis,quæ requiruntur ad bene viuendum,hoc eſt ad comparandam felicitatem. Non igitur ea dici debent,quæ pertinent ad inanem oſtētationem,ſed ad vulgi potiùs inſtitutionē, nec tam ea,quę difficiles quæſtiones excitent, quàm quæ doceant ipſam pietatem. Non decet populum ijs argutijs intricari,à quibus ipſi ſe vix magiſtri extricarę poſſunt.Omnia non apud omnes & vbique cō ueniunt: diuerſæ ſunt á diſputationibus cō ciones,& etiam interdum illę minus ſunt vtiles,quàm periculoſę.Sed hęc latiùs proſequi non eſt huius loci:ſat eſt nobis officiū concionatorū hic in vniuerſum oſtendiſſe.

Quales eſſe debeāt Opifices,operæ et opera in Ciuitate. C.8.

IN reliquis autem omnibus etiam diligenter obſeruari debet decorum,vt omnia q̄ pulcerrima ſint, & moneant nos illius maximé

maximé pulchritudinis æternæ, nam cùm nemo tam ſtupidus ſit, quin eximias ōnes formas admiretur, admiratio, cauſarum inquiſitionem, adeoque ſuperiorem cōtinuò cognitionem in nobis parit: ſic vt ab operibus ad opifices, & tandem ad ſummum aliquem artificem perueniamus. Sed cōſiderandum hic & alibi ſemper eſt, quid & quā commodé fieri poſsit: non enim quæuis Reſpub. præſtantiſsimos artifices habere, vel excelentiſsima quæuis opera comparare queant; quód alia magis neceſſaria ſint, nec ad omnia ſufficiant ciuitatis opes. Perpendendum itaque quid in templis, & quæ templa neceſſaria ſint, & niſi quid obſtet, vt omnia veris ornamentis pios animos delectent, & incitent ad virtutem eſt efficiendū. Id autem etiam in totis vrbibus eſt obſeruādum, vt ſcilicet quàm pulcherrimæ ſint, nec tamen interim ſplendor ad faſtum aut aliud vitiū prouocet, ac vt ſemper neceſſaria reliquis præferātur, & quemadmodum in vniuerſa natura rerum, omnis venuſtas, ſuis vſibus deſtinata facilè cedat oblatæ neceſſitati. Quicquid veró eiuſmodi externā vtilitatem aliquam afferre poteſt, vel proficiſcitur ab ipſa Rep. vel aliunde ad eam accedit: per Remp. agros, aquas, & reliqua, quæ in ea proueniunt, intelligo, & etiam præcipuè ipſos ciues. Cum igitur diuerſæ

pro-

prouinciæ,diuerſos homines, ingenia diuerſa producant & alant, fit, vt eas ad res potiſsimùm inſtitui debeant ciues,ad quas natura maximè ſunt accommodati, vt tamen prçclariſſimas quaſque,quatenus fieri poteſt,reliquis anteferamus, quemadmodum etiam antea dicebam.Quidam potiùs ad militiam naſcuntur, alij potiùs ad domeſticas artes,& hìc magis ad ingenij,alibi magis ad corporis exercitarionem.Natura quoque ſoli fermé cum hominibus cōuenire ſolet,vt in maritimis locis nautica negotia vigeant,in alijs agricultura,in alijs artes,quas mechanicas vocant:quibus videmus quaſdam prouincias,natura nō admodum fertiles,tamen diuitijs abundare. Sic igitur ciues à magiſtratibus & legibus inſtituendi ſunt, vt ad id quod optimum eſt Reipu.q̃ aptiſsimi reddantur,ſic etiam agri littoraque parari,vt hominibus cōmodaſsimé ſeruiant:illi,vt quàm maximam prçbeant materiam rerum gerendarum, hæc vt tuta ſint & habeant quàm accōmodatiſsimos portus. Agri itaque ſeri debent primùm neceſſarijs ad vitam,deinde alijs,quæ plurimùm vtilitatis Reip.ferant:prouinciæ quoque tam mari quàm terra penitus debent omnibus latrocinijs expurgari. Magiſtratus igitur nullos externos nebulones, qui tātùm vagari & graſſari per itinera ſciunt,

Latrocinia diligētiſſime imdiēda.

unt, admittent, ciuis autem malos maxima quoque ſeueritate coërcebunt, nullos aleatores, nullos ſcortatores, nullos ebrioſos homines in Rep. ſua viuere patientur: quoniam hæc vitia facilé patrimonium cū pudore decoquunt, atque homines pauperes & corruptos in omne facinus impellunt. Inſtrumenta quoque lædendi adimēda ſunt illis, quos improbos eſſe ſuſpicari licet: vt armis deſtituti, vim non inferant alijs, præſertim armatis. Certé præcipuum & vnicū remedium latrociniorum eſt in diligentia Magiſtratuum collocatū: qui ſi negligentiùs quā oporteat hoc officio ſuo fungantur, ipſi potiùs quā latrones Remp. lædūt, & tanquā licentiam ijs præbent, miſeros homines diuexandi. Nec eſt quòd locorū vaſtitates aut alias occaſiones vllas cauſari quis poſsit: nam videmus in quibuſdā prouincijs, quę natura maximé quibuſuis inſidijs opportunæ ſunt, nullum tamen latronem graſſari: tantum poteſt diligentia, ſi fuerit cum prudentia coniuncta. Verùm

Viæ publicæ quales eſſe debeant.

nō ſolum tutę viæ publicę, ſed etiam quàm facilimę ſunt reddendæ: quod fiet, ſi quàm optimę ſternantur, & quàm pauciſsimos habeant circūdictus. Quantò verò plures flexus ſunt, tantò maiorem agrorum partē auferunt, & vecturam cariorem reddunt. Ergo prouinciæ tutiſsimæ rebusque geren

dis accomodatiſsimæ fiant, & ciues nõ tantùm ad virtutẽ, ſed etiam ad reliquam omnem vtilitatem Reipub. diligentiſsimi paratiſsimique reddantur, vt quoniam ſola natura nõ ſufficit, ciuiũ oĩm induſtria Reſ. non tantùm internis, ſed etiam externis bonis abundet. Non autem vllo modo videntur homines illi laudandi, qui ſuo cenſu citra publicam vtilitatem tãtùm ſibi viuunt, nec aliquod commodum in commune cõferunt. Non enim nos noſtris tantùm, ſed & Reſp. noſtris & nobis frui debet; nobis inquam, non otioſis, ſed diligentiam ſummam adhibentibus, ad felicitatem cõmunem. Non colonus tibi ſeruit, & vniuerſa rerum natura, vt tu nihil agas, ſed vt etiam aliquid, in publicam vtilitatem conferas. Cúm enim à ſummo bono facta ſint omnia, quod ad ſui participatum ſeſe libenter effundit, nunquam quies eſt laudabilis, niſi quatenus nos paratiores reddit ad operationes. Ita videmus partes corporis humani, reliquarumque rerum, ſingulas & omnes pariter, & ſingulis & omnibus vſum ſuum prębere, quãquam aliæ ſint alijs potiores. Non ideo potentior es & ditior, vt otioſus ſis, ſed vt præſtantiora negotia exerceas. Omnes igitur in vſum publicum aliquid conferamus, & pro ingenijs & locis inſtituamur primùm ad virtutem, deinde ad re-

Ciues nulli ſint otioſi.

Externæ malorũ cauſæ excludẽdæ.

ad reliquas vtilitates ciuitatum. Verùm nõ tantúm prouidendum, vt intus omnia præclara ſint, ſed etiam vt aliunde nihil mali ad Remp. accedat. Itaque ſi quid aduehatur, quod damnoſum ſit aut non neceſſarium ciuitati, ne locum neceſſariorum occupet, vel magnis vectigalibus impediatur, aut prorſus interdicatur: ſiue morbos aliquos animorum afferat, vt luxũ, vt inanem oſtẽtationem, ſiue corpus deterius, ſiue pauperiorem ciuitatem reddat. Conſideret igitur bonus Princeps, in ædibus & veſtibus, in cibo & potu, quid neceſſarium, quid vtile, quid ſuperfluum, quid pernitioſum, & liberum faciat, imò etiam interdum præmijs alliciat, quod populo vel neceſſarium eſt, vel non exiguam aliquam afferat vtilitatem: inutilia veró vel ſupplicijs propoſitis interdicat, vel magnis ſaltem vectigalibus grauet. Ita cúm nunquam, præſertim his temporibus tamcorruptis, defuturi ſint homines diuites & prodigales, qui quouis ſumptu parent ea, quæ pertinent ad luxum, fiet, vt Principum bona non diminuantur, & viri boni atque frugales, ſæpe non admodum diuites, multò commodius degant. Præſtat autem vt Reſpub. poſsideat ad vitam neceſſaria & diuitias, quàm res externo tantúm artificio elaboratas, quæ in magnos & neceſſarios vſus fermé permutari non poſſunt,

ſunt, & cum magna pecuniarum iacturá facilè deteruntur. Inter has verò minimùm admittenda ſunt, quę breuiſsimo tempore pereunt, & maximo pretio conſtant. Sed conſiderãdum, ne dum nos interdictis noſtris alias ciuitates grauamus, illæ nos viciſſim magis grauent ſuis: quod à plærıſque minimè video perpendi: nã multi tam iniqui ſunt, vt alias prouincias lędere nequaquam vereantur, multi etiam, tàm ſtupidi, vt iniurias ſibi illatas non compenſent. Diligenter animaduertere debent magiſtratùs, quid vtilitatis Reſ. percipiàt, ex ıjs quæ euehuntur, quid etiam ex ijs quæ inuehuntur, vt ex vtriſque, ſi fieri poteſt, maius percipiat lucrũ quàm damnum: curare debent etiam, vt omnia quàm optima fiant in ſua Rep. quò & ciuibus maximè ſeruiant, & ab exteris vehementiſsimè expetãtur. Ita fiet, vt ciuitas ſuis præſidijs valeat, & etiã externis ſubſidijs iuuetur. Quamobrẽ neceſſarium eſt, vt principes & ſuas Reſp. & etiam alienas optimę noſcant, & ſemper, vt iam ſæpiſsimè diximus, primas partes virtuti tribuant. Exteros ergo, quanquam alioqui magnum emolumentum ſint allaturi, ſi tamen vitijs ſint contaminaturi ciuitatẽ, nullo pacto admittent. Sed nos nunc inuertimus ordinem ipſum naturæ, primas partes fortunę damus, ſecundas corpori, tertias,

vel potiùs nullas virtuti. Verùm etiam hæc externa quoque ſuam quandam non contemnēdam dignitatem habent, omnia ſiquidem, etiam hæc corporata, quodā ordine dona Dei ſunt, inter quę principatum optinent, primùm quę ad animum conducunt, vt que vel oculis vel auribus percipiuntur, deinde quæ ad corporis valetudinē, vt quę ad guſtandi tangēdique ſenſum pertinent. Quis autem tam ſtupidus eſſe poteſt, qui cùm pulcherrimam iſtam cæli fabricam, et tā concinnam harum rerum omnium varietatem cernit, cùm audit tā multiplicem canendi, loquendique concentū, rebus ipſis conſonum, veritatis & virtutis amore non rapiatur? Hæc igitur nobilitate priora ſunt, reliqua verò magis corporata neceſſitate: nam ſine corpore mens officio ſuo fungi non poteſt: corpus autem confeſtim conſumi neceſſe eſt, ni continenter alimonia reficiatur. Qua propter hìc primò comparanda ſunt, quibus viuamus, deinde quibus ſanitatē tuëamur, aut cōparemus: cetera voluptatis inſtrumenta, vel reijcienda ſunt, vel ad animi tantùm recreationem admittenda. Nihil quidem à ſapientiſsimo Deo factum eſt fruſtra, ſed purpura, colores, linguæ condimenta, aliaque innumera, quæ ſenſus noſtros demulcent, quanquam ſuperuacanea fortaſſis videri poſſint, tamē aliquem,

Res aliæ neceſſitate, aliæ nobilitate ſunt priores.

aliquem, imò magnum vſum proculdubio præbent. Quòd ſi ſingula diſtribueremus, quemadmodũ decet, nihil deſiderari poſſet in tota rerum omnium natura: vel potiùs quomodocunque diſtribuamus, tamẽ, vt iam ſæpè diximus, omnia prouidẽtię diuinæ & vniuerſitatis vtilitati ſeruiunt, tametſi, quoniam ijs abutimur, in noſtris rebus vel priuatis vel publicis quàm plurima deſiderentur. Alij quidem plus deuorãt, alij parciùs viuere coguntur quam oportebat: plurimi veſtiuntur delicatiùs, alij, quanquã rariſsimi, magis ruſticè, quàm decebat: & hinc, quoniam à nobis hominum & rerum dignitas minimè ſeruatur, tot morbis, tot vitijs atque monſtris ſunt omnia plena. In his autem rebus externis multis modis peccare ſolemus: primùm quòd non curemus ſatis diligenter, vt quàm optima ſint, & ijs optimè vtamur, quæcunque ſunt in ciuitate: deinde, quòd non prouideamus, vt viliſſimo pretio comparentur. Ita fit, vt, tametſi non deſint ea, quibus egregiè vitam ſuſtẽtemus, luxus & auaritia nos ijs vt decet frui non ſinat. ad mediocritatem enim vitę pro cuiuſque conditione cuiq; ſatisfacere poſſent, ſi non ea partim incontinentia quorũdam inutiliter abſumeret, partim vendentium dolus deteriora redderet, & cariora, quam vt ab omnibus emi poſsint: dum illi

Optima ſint in ciuitate omnia, et ijs ciues optime vtantur.

ſam licenter omnes emptores defraudant, & turpiſsima monopolia, conſentientibus ſcilicet, vel ſaltem tacentibus legibus, vel legum potiùs miniſtris, exercēt. Oportebat autem rebus, ſaltem neceſſarijs, optimos & peritiſsimos æſtimatores præeſſe, qui curarent vt et ſingula quam optima iuſtiſſimoque pretio venderentur, & etiam vt nullus eſſet defectus neceſſariorum aut inutilium exceſſus: in quo quidem vtroque paſſim vehementiſsimè peccatur, & in hoc etiam quàm in illo frequentiùs, & magis periculoſè. Quanquam autem in ciuitatibus nihil abundare poſſe videatur eorum quibus viuimus, non frumentum, non vinum, non obſonium, tamen horum abundantia luxum, maximam peſtem Rerumpu. parit. De frumento magis debent eſſe ſolicitę bene inſtitutæ ciuitates, & omnem quàm primum tollere luxus occaſionem: nunquam enim legimus hoc vitio laborantem Rem. diu incolumen manſiſſe: teſtis eſt Babylon, Athenæ, Roma: in quibus dignitas tantùm diminui cœpit, quantùm luxus augeri. Cū itaque legamus in antiquis bene formatis ciuitatibus præſcriptos fuiſſe per cēſus cuiuſque menſæ familiæque ſumptus, non video cur id facere non liceat, imò veró deceat apud omnes Chriſtianos: ſic enim fieret, vt diuitū parſimonia pauperes aleret, & an-

Defectui neceſſariorum et exceſſui inutiliū proſpiciē dum.

Menſæ familiæque cōſtituendus modus.

& anguſtiæ familiarum multos,qui tātùm ſeruiunt oſtentationi,vel potiùs conſumendis frugibus,excluderet, ad vtilem aliquā operam ciuitatis. Nunc maxima pars famulorum inutili tantùm pondere familiam, imó Remp.premit. Quid,quod hoc exemplum plures ad otium prouocat, idque ciues eneruat,& Remp.exhaurit. Sed nec in alio quouis negotio quod per pauciores fieri poterat,plures vnquam fuerant admittendi:nam maioribus opus eſt ad illos omnes alendos expenſis. Id enim ſemper cariùs emi neceſſe eſt,in quo plures verſantur: cùm omnes ad vitam neceſſaria lucrari cogantur. Ergo tabernę paucisſimæ ſint,& rebus magis neceſſarijs tantum inſtructæ. Nunc autem cum magno magiſtratuū dedecore videmus ijs potiùs eſſe refertas ciuitates,quæ nō tantùm neceſſaria nō ſunt, ſed quæ prouocant ad luxum, ad ebrietatem,& ad aliam omnem Reip.corruptelā: vnde quàm multa mala proueniant, ſatis nos omnes cum magno noſtro malo ſentimus. Videmus in regionibus,in quibus homines ad commeſſationes propenſi ſunt, magnam vrbium partem ebrioſorum diuerſorijs impleri:vbi non tantùm inutiles cauponum greges aluntur, cum vniuerſis familijs,ſed per ingluuiem fermè tantū abſumitur, quātum vniuerſæ ciuitati ſit ſatis.

Tabernę tantùm neceſſar. ſint in ciuitate.

Quid, quòd nõ tantùm luxus perditorum hominũ fouetur, dum vitiorũ occaſiones omnes exhibentur, ſed per vniuerſas etiam vrbes effunditur, dum boni ciues à malis continuò corrũpuntur. Ita ſepius vna licentia multorũ vitiorũ procreatrix eſt, & totas Reſp. infelices reddit. Omnes autem anſæ malorum vndique diligentiſſimè tollendæ ſunt, præcipuè tamen illæ, quæ frequentiſsimé facillimeque arripi ſolent. Aliæ regiones ad libidinem procliues ſunt, & illic quęcunque prouocant ad laſciuiam ſunt potiſſimùm interdicenda: nõnullæ pronæ ſunt potiùs ad oſtẽtationem, quibus inanis gloriæ materia prorſus fuerit auferenda. Multi homines crapulam maximè ſectantur, & illi vehementiſsimè cõſtringendi ſunt ad frugalitatem, contrarijsque ſemper exercitationibus diligentique cultura pullulaſcentibus vitijs eſt occurrendum, quæ ſine magno detrimento bonæ ſegetis nunquam adoleſcunt, & adulta nõ perinde facilé poſſunt euelli. Tellus hominibus alendis, nõ explendis voluptatibus ſeruit, & quod impenditur in ebrietatem, aliorum neceſsitati detrahitur. Cùm autem ijdem agri nõ poſſint multis vſibus inſeruire, nimius potus neceſſariò frugum penuriam ſecũ affert, nec tantùm in cibo potuque modus eſt ſeruãdus, ſed nec ſemper, nec omnibus omnia

ciborum

ciborum genera ſunt permittenda. Non enim decet pauperem aliquē ditiſsimi cuiuſque ſumptu viuere, nec etiam ditiſsimū aliquem ingentibus pecunijs è longinquis regionibus immedicabilis ſuę gulę remediū accerſire: ſed potius, vt ijs quiſque veſcatur, que regio copioſiſſimè producit, & inter ea, q̄ meliora ſunt ſalubrioraq́;, reliquis anteponat: ita tamen, vt ſi hęc nō ſufficiāt, alia non omittantur, quę vitam conſeruare poſſunt. Itaque piſcium eſus, pręter alias vtilitates hanc non paruam affert, quòd homines etiam é mari victum quærere cogant: quod niſi fieret, in tanto præſertim luxu, terra nobis ſufficere nullo modo poſſet: nam quòd alioqui vix aliquis futurus ſit, quin carnes piſcibus, pręſertim non admodum delicatis præferat, dubium nō eſt, vt nec iſtud, quòd piſcatores ob exiguum & incertum lucrum ſe maris periculis cōmittere nolint. Hic autem etiam externam cōmoditatem, et corporis atq; animi ſalutē ſpectamus. Vtilitas externa ſeruabitur, ſi dies, quibus piſcibus nobis veſcendum eſt, ijs anni temporibus conſtituantur, quibus plurimi piſces facillime capiuntur et cōſeruantur, cūque propagationis eorū minima iactura. Corporis ſaluti cōſuletur, ſi, cū optimi ſunt minimeque corrumpuntur, piſcibus, et ijs maxime temporibus veſcamur, Piſcium eſus.

quo corpus exiguum alimentum, et aduerſus præſentem ac inſtantem æſtum, frigidũ et humectum requirit. Animo verò proſpicietur, ſi cum maxime ciues in luxum et libidinem, feruore multitudineq; ſanguinis vergunt, tenuioris frigidioriſque cibi alimentum præbeamus. Quòd ſi hęc tria genera bonorum conſequi non poſſumus, plura maioraque eligemus. At quod animus corpori, corpuſque rebus externis prę ferendum ſit, iam eſt manifeſtum. Sed animus legibus propoſitis regi poteſt: et corpori etiã poteſt alijs rationibus prouideri: naturam verò rerum nobis mutare non licet: qua potius his temporibus, q̃ alijs, plures piſces proueniunt et meliores, minori cum damno et periculo capiuntur, et facilius conſeruantur: quod diligenter fuerat à legiſlatoribus conſiderandum, et efficiendum etiam, vt ciues in ſupellectilibus atque veſtibus reliquiſque rebus omnibus ſuam teneant mediocritatem: nulla nanque Reſ. niſi frugalis, fuerit vnquam beata. Frugalibus hominibus paucis ferculis opus eſt, & paucis vaſculis, nec admodum pretioſè elaboratis: nunc verò non ſatis eſt ædes extruere tam amplas, quarum maior pars nulli ſeruiat, niſi etiam marmoreæ ſint, & artificio longo variègatæ, niſi omnia fermè laquearia ſint laborioſiſsimè inaurata: non

ſatis eſt argentea plurima vaſa poſsidere & aurea, ni argentarij multi ſculpendo locupletentur: nec ſat eſt habere veſtes innumeras atque mollíſsimas, niſi plurimis ſuturis iterum exaſperentur. Quid ego nunc mundos muliebres recenſeam, quibus magna ex parte Reip. pecunia continetur. Neceſſe eſt ab vltimo terrarum orbe quærere gemmas, quibus ſcilicet precioſarum iſtarum fœminarum inexplebilem inanis oſtentationis libidinem expleamus. At ineptiſsimi ſumus, qui non videmus hoc pacto nimis onerari premíque Reſp. aut ſi videmus & negligimus, ſcelerati atque nefarij ſumus. Hinc opus eſt tot architectis, ſculptoribus, pictoribus, argẽtarijs, ſartoribus, alijsq́; id genus hominibus, nec his tantùm, ſed alijs innumeris, qui iſtis etiam ſeruiant. Ad veſtitum opus eſt ſartura multiplici, mercatura, textura, tinctura, lanificio, pecuaria, paſtura, & harum artium quæque tot alias habet cõiunctas, vt mirum ſit aliquam eſſe tam fertilem Remp. quæ ſuperfluam hanc multitudinem alere poſsit: præſertim cùm etiam ipſi artifices in eodẽ fermé luxu verſentur. Non autem nimius tantùm ſumptus prohibendus eſt, ſed etiam veſtes ſuam decentem formam habere debent: decentẽ appello formam, non eam quæ moribus hominum eſt accommodata, ſed quæ verã

Veſtium forma.

decoris ſpeciem refert. Nam in natura rerum ſemper aliquid eſt, quod quamq; rem, perſonam, tempus locumque maximè decet: quod hic etiam diligenter eſt obſeruãdum, nec in veſtibus vlla leuitatis aut ſordium indicia ſunt admittenda, quæ nuſquã fermè manifeſtiora quàm in ijs eſſe ſolent. Conſtituendus igitur veſtiẽdi modus erat, regioni, tempori, perſonis accõmodatus, nec vel hîc vel alibi quicquam immoderatum fuerat tolerandũ: non fuerat permittẽda tanta leuitas, præſertim in ijs hominibus, qui graues titulos gerunt, quantã boni viri ſine magno pudore videre non poſſunt. Rectè profectò Lycurgus, qui vnam annuam veſtem, nec eam quidẽ tam ſumptuoſam, quam honeſtam, ſuis pręſcripſit: rectè veteres illi ſummi duces, Themiſtocles, Ariſtides, Curius, Manlius, quorum in ædibus, cum ſua paupertate Rempub. ditare vellent, nihil erat non omnino frugale.

Publicus ſplendor vtilis.

Publicum tamen ſplendorem, ſi diuitiæ ſufficiant, non modò non reprehendendum, ſed etiam laudandum eſſe puto: nam, vt antea diximus, omnis pulchritudo nos in admirationem rerum diuinarum ducit & cõmunia ſingula, ciuibus omnibus ſeruiunt: priuata verò neceſſarium eſt vt multa ſint, quæ profectò difficillimè comparentur, vt interim omittam, quod potius ad faſtũ incitent;

eitent, quàm ad virtutem. Sed tamen vnum quenque moderatis pro magnitudine diuitiarum vti licebit: nam ijs etiam Platonem ipſum, continentiſsimum ſanè virum, legimus fuiſſe delectatum: immoderata verò ſemper multorum malorum cauſſas præbent. Reſp. tam diligenter à magiſtratibus fuerit exoneranda, vt in ea, quatenus temporum rerumque natura patitur, nihil omnino ſuperfluum relinquatur: nec id tantũ, ſed etiam curãdum; vt nõ deficiat aliquid, quod neceſſarium videatur ad vitam. Quapropter & reliquis omnibus, & maximè proſpiciendum eſt annonę tempore vilitatis, & apparatui bellico tempore pacis: nullum enim malum grauius eſt, quàm inopinatum. ſic videmus innumeras ciuitates, improuiſo vel bello vel fame facillimè oppreſſas. Quamobrem omnia quæ ciuitatem alunt opportunè ſunt conuehenda, quę verò eam corrũpere poſſunt, confeſtim ſunt expellenda. Dicent, nec ciues expelli, nec neceſſarijs operis omnes præfici poſſe: & ideo ciuitates, quæ olim pulcherrimè fuerant inſtitutæ, cùm ſe frequentia ciuiũ grauari ſentirent (vt interdum maior prouentus hominum quàm frugum, & alibi maior abundantia frugum quàm hominum eſſe ſolet) eos qui minùs vtiles eſſent, propoſitis præmijs in optimas quaſque colonias

Nitor moderatus vtilis.

Coloniæ deducendæ. nias ſic transferebant, vt interim & ijſdem legibus vterentur, & vnius quodammodo cum prima Republica ſua corporis eſſent. Deinde cùm nulla fuerit vnquam tam beata ciuitas, quin aliarum ciuitatum atq; regionum ſubſidium requirat, etiam operæ neceſſariæ vocari poſſunt illæ, quæ cum externis neceſſarijs permutantur: quæ ſanè vt multæ ſunt, ita multos ciues in officio ſuo facile continebunt. Inſuper ſtudia literarũ, militię & agriculturæ latiſsimè patent, quę quidem in Rep. planè neceſſaria ſunt, & à multis hominibus ſuſcipi volunt. Quoniam verò non eſt ſatis, quod intus Reſp. ſibi ſufficiat, niſi quoque ſit ad externas iniurias arcendas parata, & habeat ea, quibus hoſtibus egregiè reſiſtere poſsit, hîc præcipua ſpes in bonis militibus eſt, quemadmodum latiùs diſputatur apud Platonem: quia tamen improuiſi quidam inſultus ſępe fieri ſolent, aduerſus eos quoque conuenit eſſe munitam vel arte vel natura ciuitatem. Munitæ ſunt, quę mœnibus egregiè ſeptę ſunt, quæ in editis & pręruptis locis ſitæ, modò circũ ãpla ſit et paludoſa planities, ſic vt à vicinis collibus lędi aut à foſſoribus euerti nõ poſſint. Munitę ſunt etiã in plano, præſertim humido: non enim facile machinis aut cuniculis tentantur. Quia tamen ſatis non eſt, quòd ab hoſtibus non lædantur ciues, ſed

Ciuitates munitæ ſint.

ues, ſed oportet vt ipſi lædant etiam hoſtes ſuos, ſi poſſunt, inſtrumentis, non tantùm defenſionis, ſed etiam oppugnationis eſt opus, equis, armis, tormentis, quibus omnibus quàm optimis & plurimis decet eſſe Remp. inſtructam: nam inermes ab armatis opprimi facilimè poſſunt. Sed cùm multis rebus ad bellum opus ſit, neceſſarium eſt omnium rerum abundantiſsimã eſſe Rẽp. quæ longo tempore magnum exercitum ſuſtinebit. Ornandi nanque nutriendíque milites ſunt, nec hi tãtùm, ſed etiam omnes qui iſtis ſeruiunt, qui arma, qui veſtes conficiunt, qui commeatum & alia neceſſaria ferunt: quorum numerus militibus eſt multò maior. At omnes qui circa bellum occupati ſunt, alijs rebus alioqui Reip. ſeruirent, vel agros colerent, vel aliquid aliud facerent, quod, ſi neceſſarium ciuitati non eſſet, ab exteris emptum eam locupletaret. Inſuper tempore belli agri latè vaſtantur multa que nos ab alijs emere cogimur, quibus Reipub. pecunia diſtrahatur. Oportet ergo ciues eſſe tempore belli & etiam pacis tantò diligentiores, vt pro ſe, pro militibus eorumque miniſtris omnibus laborẽt, aut eſſe tam beatam Remp. vt externas merces & pecunias non requirat, ſed habeat nõ tantùm neceſſaria ad pacem, verùm etiam ſuperflua, quæ militibus ſufficiant ad bel-

lum:

lum: vt & ciues viuant, & ex ijs quę ſuper ſunt, exercitus ſuſtentetur: quod quidem nunquam fermè contingit. Quantò nanq; regiones fertiliores ſunt, tantò magis & à corruptioribus hominibus feré ſunt habitatæ. Quare tempore pacis aliquid reponamus in belli neceſsitatem, niſi tempore belli Remp. ſtatim penuria grauari velimus.

De Nummis. CAP. IX.

REPONVNTVR autem & conſeruantur facilimè nummi, quibus tanquam accommodatiſsimis inſtrumentis etiam reliqua cuncta comparantur: & ideo rectè Demoſthenes diuitias Reip. neruos appellauit. Ergo inter alia, quæ nobis ſeruiunt, nũmorum vſus latiſsimè patet, qui iam alterius cauſsa tantùm expetuntur. Nam quatenus eorum tactu vel aſpectu delectatur, ijs vti quis rectè nõ dicetur. Nummorum cudendorum hæc potiſsima ratio fuit. Cùm in hac vniuerſitate rerum nihil abſolutum vnquam eſſe poſſit, ſed neceſſarium ſit, vt ſingula mutuis quibuſdam operis in vnum conſpirent: hinc negotiationes, mercimonia, peregrinationes in varias & longinquas regiones ſuam originem habuerunt. Si Remp. aliquam hîc haberemus, in qua

Mercium externarum vſus.

tales ciues eſſent, qui virtute, ſapientia, fortitudineque quàm optimè rerum ſuarũ ſtatum ab externis & internis iniurijs perpetuò propulſarent, & eſſet ea cæli ſoliq; contẽperatione, quæ non tantùm ad vitam neceſſaria, ſed etiã ad honeſtã voluptatẽ à bonis viris expetenda produceret, non eſſet quòd in ea nummos aliquos vehemẽter deſideraremus: verùm cùm natura comparatum ſit, vt nihil hîc ſummè poſsit eſſe beatum, & etiam optima quæque grauiſsimis temporum calamitatibus concuti ſoleant, ſæpe multis externis præſidijs habemus opus. Nec etiam tantùm noſtris & externis bonis vti, ſed tam hęc quàm illa quoque debemus interdum admirari, etiam ſi alioqui nulli neceſsitati ſeruiant: diximus enim prius, non tantùm rebus neceſſarijs, ſed et pulchris abundare debere ciuitatem. Sanè nõ video quomodo ſine mutuis exterorum cõmercijs Reſp. felicior eſſe poſsit, tametſi nõ negem verum id eſſe, quod Platonem conſideraſſe conſtat, ciues etiam optimos, inter exteros corruptos ſolitos eſſe contaminari. Sed ideo leges in Rep. ſunt, vt per eas vitijs omnibus reſiſtatur: deinde ciues bene conſtitutę felicisque Reip. boni prudentesque ſunt, qui etiam ipſis aliorum vitijs exerceantur ad virtutem: idque eſt quod ſcriptum eſt etiam apud Platonem, in peſsimis

ciuitatibus

ciuitatibus raros quidem eſſe bonos, ſed eos admodum eſſe præſtantes. Quod ſi tamen ab externis commercijs plus damni quàm emolumenti redundet in Rem. nam aliæ ſunt alijs ad vitia, & ad hæc vel illa magis propenſæ, fuerint etiam, vt ante diximus, interdicenda. ſed mutuis ſaltem cõſortijs inter ſe ciues carere nequeunt, ad quæ nobis etiam eſt opus cõmuni quadam ęſtimationis rerum omnium menſura. Quanquam enim antiquitùs permutationem rerum in vſu fuiſſe videmus, ſingula tamen ſingulis rectè conferri nequeunt, & venditores ijs rebus, quas emptores offerre poſſent, ſæpe non habent opus. itaque communi hominum omnium conſenſu vſus nummi receptus eſt, quo rerum omnium æſtimationem metiremur, & quiduis nobis facilè compararemus. Oportebat itaque nõ tantùm vt is rerum æſtimationem diſcerneret, ſed etiam vt cum rebus comparatus ſuam æſtimationem haberet. Quòd ſi paratu facilis eſſet, eoque omnes abundarent, pro re vili nemo laborem ſuſciperet, et oporteret, vt magnitudine pretiũ eius augeretur: ita neceſſarium eſſet, cùm ſæpe longè petẽda ſint, quæ requiruntur ad vitam, nos vel neceſſariorum penuria, vel nummorũ mole grauari. Quamobrem prouidè factũ eſt, vt ijs metallis, que rariora ſunt, & facillimè diutiſsi-

diutiſsimeque conſeruantur, potiùs vtere- mur. Nullum autem eſt quod vetuſtati, flã- mæ & reliquis iniurijs magis reſiſtit, quàm aurum, nullum quod in omnem formam ſine detrimento faciliùs permutatur: & ideo, quoniam etiam rarum eſt & aſpectu iucundum, pretioſum admodum habetur. Qua propter hoc meritò primum, argen- tum verò ſecundũ, & reliqua metalla dein ceps ſuum locum tenent. Sed tam Plato quàm Ariſtoteles, nõ tantum reliquæ Phi- loſophię verum etiam Principes huius diſ- ciplinę, cùm & multas priſcas Reſp. & prę- clariſsimas Græciæ ciuitates per opulenti- am nimiam miſerè viderent euerſas, & na- turalem poſſeſsionem, quę neceſſaria ad vitam profert, finitam eſſe, pecuniarum au tem ad permutationem vſum infinitum, dum nummus nummum ſemper ad inex- plebilem cupiditatẽ parit, moderatas vter- q; diuitias, ille etiam communes eſſe debe- re iudicauit. hoc autem poſtremum nec ne- ceſſarium, nec fortaſſis vtile: quanquam il- le ſuas rationes & modos habet, vel ſaltem in hoc rerum ſtatu perq̃ eſſet difficile. Illud autem, quis modus in pecunijs ſeruandus eſt, conſideremus. Aiunt illi qui mediocri- tatem pecuniarum tãtopere laudant, quod etiam ratio comprobat & experimẽta quo tidiana, per nimias diuitias, otium, vitia, re-

Auri pręſtantia.

In rep. l. polit. C. 6.

Pecuniarũ quis ſit modus

liquaſq; multas peſtes in Rep.introduci:pecunias ingēs ſępe malū,ſuis pręſertim dn̄is & patronis afferre ſolitas,qui cū ſcilicet in ijs ſummā felicitatē ponūt,vel perpetuis curis,vel libidinū furijs miſerè vexantur. Nimiarū autē diuitiarū incommoda, vel eo quoq; grauiora dicūt,quòd in viros potentes potiùs incidūt in quibus cōtinuā ſpē augēdarū diuitiarū vel intolerabilē auaritiā, vel luxū,libidinē,ſuperbiā,aliaq; multa ſcelerū mōſtra facile procreare: quibus breuiter reſpōderi poteſt. Nimiū quidē nullū vnquā laudari debere:ſed ſapiētē nullas nimias diuitias,vt nec aliud quicquā immoderatum habere:tametſi malis hominibus prębere ſoleāt anſas peccādi,bonis viris tamen eas eſſe potiùs inſtrumēta virtutū,qui non tam aceruandi vel abutendi libidine, quàm impartiendi iuuandiq; deſiderio diuitias affectant:malas quidem eſſe malis hominibus,nō autem viris bonis, qui ſemper ad virtutē ijs vti ſciūt & volūt.Videmus enī nō ditiſsimos & potētiſsimos quoſque peſſimos ſemper eſſe,ſed eos potiùs,qui diuitijs vti nō ſciūt.Nō igitur illæ,ſed homines ipſi cauſa ſunt horū omniū malorū. Vitiorum autē occaſiones,quæ ſunt in diuitijs,ſi viri potētiores etiam prudentes ſint,quales in Rep.noſtra deſideramus,facile poterunt vitari.Nā ab ijs pauperes mercedē accipiēt loboris,aut calamitatis,quā paupertas ſecum

tum affert,nō nimiā,qua corrūpantur,ſed qua moderatè viuant:& ſic in officio ſuo facile continebuntur ciues,etiamſi Reſpu. pecunijs abundet:ſiquidem ij ditiſsimi ſint, qui,vt priorem aliquem locum in Rep.te= nent, ita prudentia reliquos antecedunt. Nec id eſt admodum difficile factu:nā improborum hominum diuitiæ facile efflu= unt,quæ à ſapientioribus continuò in priuatos & publicos vſus colliguntur. Si qui verò diuites auari ſint; cogi poterunt au= thoritate publica,vt in vtilitatem communem pecunias ſuas exponant.Non tantùm autem vt optimi quiq; plurima poſsideant, ſed etiam,quo cuncta in ſuo ſtatu maximè conſeruentur,& filij parentibus etiam fortuna ſimiles ſint,efficiendum ne diuitię maiorum diligentia partæ à ſucceſſoribus fa= cilè diſsipentur:quod quidē à magnis au- thoribus animaduerſum eſt, & in nonnul= lis etiam ciuitatibus, antiquitùs obſerua= tum, quemadmodum Ariſtoteles ſcribit. Sic non tantùm Reip.ſtatus diu manebit incolumis,ſed etiam continuò melior fiet,& non ſolùm nullum damnum afferent ciui= tati etiam multæ diuitiæ,ſed tempore pacis inſignes felicitatis occaſiones, tēpore belli magna præſidia imperij vel defendendi vel propagandi.Quod ſi paucæ pecuniæ ſint, & tamē multis ſit opus,quod quidem non

Hereditates conſeruādæ.

L. 6. C. 4. pol.

rarò, præſertim tempore belli, contingere ſolet, huic quidem maximo malo remedium aliquod, quatenus fieri poteſt, eſt inueniendum. Videmus autem & antiquis & noſtris temporibus aureorum & argenteorum loco, vilioris cuiuſdam materiæ numiſmata percuſſa, quibus inter ciues mutua negotia tranſigerentur: ſed quoniam apud exteros homines ſuæ tantùm naturalis æſtimationis eſſe poſſunt, omnino curandum eſt, vt, ne cuiq̃ iniuria fiat, neceſsitate ſoluta, pro ijs tota Reſp. iuſti pretij nummos rependat. Sic igitur quàm ditiſsima facienda ciuitas eſt, & contra paupertatem quæuis auxilia ſunt conquirenda. Potiùs tamen diuitiæ publicæ quàm priuatæ laudandæ ſunt, quoniã magis ſeruiunt neceſſitati cõmuni, qua priuata quoq; continetur, & nullam fermè vitiorum occaſionem præbere ſolent. In ærarium itaque publicum diuitię quàm plurimæ colligantur, & que collectę ſunt, minimè diſsipentur. Minime verò diſsipabuntur, ſi quàm paucisſimi optimique ſint eius miniſtri, quiq; potiùs viuere ſuis quàm Reip. expenſis velint. Certè pręclariſsimè fecerint illi, qui reliquis ſunt ditiores, ſi Reip. ſeruiant gratis: nec id illis difficile fuerit, qui habent vnde domi ſplendidé viuant, ſi foris honeſtiſsimis Rei. muneribus occupentur, quæ debent à viris bonis vel

ærarij publici cura

otio

otio vel cuiuis negotio longè præferri. Tales igitur ſint in optimè conſtituta Rep. diſtiſsimi quiq; ciues, qui publicam hanc vtilitatem ſemper anteponant priuatę. Si verò plures ſint qui publicorum curam gerunt, & ex communibus bonis in maiore luxu viuant, quàm vt eos ciuitas poſsit ſuſtentare, quid inde ſequatur cuiuis ſatis eſt manifeſtum. Ergo miniſtri publici q̃ optimi ſint, minimumq; publicis expenſis viuant: inſuper in publicum ærarium plurimùm etiam conferant omnes ciues: quod fiet, ſi tributis & vectigalibus artificioſè poſitis, ex ijs quæ vitiorum occaſiones præbere ſolent, nec vitari poſſunt, ex ſuperfluo cibo, potu, veſtibus, & alijs eiuſmodi rebus non neceſſarijs, plurimùm Reſp. locupletetur, & ſinguli ciues, præſertim optimi quique ſapientiſsimiq; iuſtis diuitijs abūdent, iuſtam que earum partem in vſum communem expendant, atq; etiam, ſi commodè fieri poteſt, publicè pecuniæ potiùs in aliquòs vſus exponantur, quàm vt ærugine corrumpātur. Hæc quantumuis ſedulò curemus, nunquā in his tantis noſtrorum temporum calamitatibus Reſp. noſtras nimis diuites habebimus: ſi verò negligamus, ad ſummam rerū omnium inopiam redigemur. Prouidendum etiam diligenter eſt, vt ad noſtram Remp. quàmplurimi afferantur, & quàm

paucisſimi nummi exportentur. Id fiet,vt diximus,ſi plurimas & optimas merces habeamus,quas exteri libenter cum pecunia cõmutent, & etiam externa nos minimùm requiramus. Tam merces verò q̃ pecunias noſtras cum externis diligenter conferre decet,vt conſeruent iuſtam ſuam analogiam:quod enim hîc quàm alibi multò vilius eſt,nõ ſolet afferre magnum lucrum,quod verò multò carius,ab externis hominibus non emetur. Si quæ tamen ſint,quæ noſtra ſola Reſpu.producit,modò neceſſaria ſint, quoniam aliunde comparari non poſſunt, exteris magno vendi debent. Sed oportet vt ſuum pretium habeant etiam nummi, præſertim illi qui faciliùs auferuntur. Aereorum autem onus & eſt difficile,nec in externis regionibus adeò deſideratũ: & ideo ſolet inferioris generis metallum cum nobiliore miſceri,non ſolùm vt tractione minus minoreq; cum damno conſumatur,ſed etiam,vt in alienas regiones minùs deferatur: quód non ſine iactura ſeparetur, & in aliam monetam vertatur. Cùm verò menſura ſemper vel par,vel minor , nũq̃ autẽ ſit eo,quod menſuratur, argenteis nũmis aureos , æreis autem argenteos , & minimis æreis reliquos omnes æſtimamus at ſi auri ad argentum, & vel illius vel huius ad æs comparatum,maior ſit analogia in vna ci-

Numorum & rerum analogia.

Metallorum mixtura.

uitate quàm in alia, tantò cariùs ęreorum comparatione,pretioſioribus illis nummis merces emētur & vendētur: ſiue verò mag na ſiue parua ſit preſioſorum nummorum cum reliquis analogia, modò venditiones ijſdē fiāt,æſtimationis rerum eadem ratio manebit:ſed ſi exēpli cauſa,in vna regione duodenis argenteis aureus permutetur, in alia verò regione denis,& illic argēteis quis emat,hîc autem aureis vendat,inde proueniet magnum harum rerum diſcrimen. Videndum eſt autum hic ſedulò, quid potiſsimùm Reipub. noſtte conducat,& vt auro potiùs & argēto,quàm reliquis abundet metallis:quoniam vbiq; pluris illa fiunt.Iſtud qui non animaduertunt magiſtratus,imprudentiam ſuam ſatis manifeſtam reddunt:ſed longior harum rerum conſideratio aliud inſtitutum requirit.

DE REPVBLICA LIBER IIII.

SIVERVM eſt,quod dici ſolet, Antiſtes illuſtris, eam demum artem quenq; bene noſſe,in qua diu multumq; ſit verſatus, ſoli Reip.moderatores de Rebuſp.rectè loqui poſſunt,& homines priuati rerum domeſticarum adminiſtratione debent eſſe cõtenti.Ego quidem in ea ſententia ſemper fui, vt priuatorum hominum de rebus publicis loquendi libertatem maximarum calamitatum cauſam eſſe putem.Nam vt omittam reliquas, frequenter non modò maleuolentiam (quæ tamen per ſe peſſimum quippiam eſt)ſed etiam apertam ſeditionẽ ciuium exitat contra magiſtratus & principes,qua nihil periculoſius,nihil in ciuitate deterius eſſe poteſt,& etiam ſi nullum aliud malum introducat,certè rerum ordinem,quo cuncta cõſtant et conſeruantur, corrumpit, dum quod alterius ſuperioris officium eſt ,inferioris conditionis homines ſibi temere cupiunt vendicare. Verùm in me hæc reprehenſio minimè cadere poſſe videtur,qui non alicuius Reip. cõſtitutionem,aut partem eius aliquam vitupero,ſed rationes rerum in vniuerſum tãtùm

conſidero,quod viris ſtudioſis ſemper video fuiſſe conceſſum : nec verò propterea artem ipſi tradunt,in qua non ſint antea diligenter verſati.Multorum enim ſcripta legerunt,qui hanc artem,optimè tenuerunt, & ex hiſtorijs plurima exempla , tanquam experimenta quædam ſumpſerunt, atq; etiam ipſi ſæpe multas Reſp. viderunt, et diligentiſſimè conſiderarunt.Officium autem eorum eſſe videtur,rerum omnium etiam publicarum , naturam conſiderare , quod dum faciunt , ab æquo iudice reprehendi minimé debent. Philoſophia nãq; reliquis omnibus diſciplinis,etiam ciuili,fundamẽta ſua iacit , quæ certè Philoſophiç ſtudioſus contemplari poteſt.Nõ eſt igitur quòd vllam hac in parte reprehenſionem præſertim apud te virum ſapientiſsimum & optimum pertimeſcam : & tamen longe difficillima noſtræ orationis pars eſt,quá nũc aggreſſuri ſumus. De perſonis enim publicis & legibus dicẽdũ eſt,in quibus à multis multa paſſim reprænenduntur non citra ſummum bonorũ virorum,dolorem : qui ſi pro rerum indignitate conqueri vellent, his corruptiſsimis temporibus, vereor ne plus ſuſciperent labores,quàm proferrent fructus. Sed cùm bene ſciant,non tantùm quid deceat,verùm etiam quid fieri poſsit, ſibi potiùs diſsimulandum,q̃ inaniter ver-

ba profundenda putant, quamuis interim ſecum calamitates temporum non deplorare non poſſunt. Nam eorum dolorē aſsiduò refricant intolerabiles et multorum hominum quotidianę cōtumelię, qui cùm ipſi perditè viuant, ex magnorum virorum reprehenſione ſummam capiunt voluptatem: & tamen quoniam vitia reprehendere videntur, a multis probitatis & pietatis titulo celebrantur, facileque per ingeniorū infelices & male cultos agros nocentiſsimas ſpinas inſerunt, quibus bonam ſegetē opprimant, & Reip. corpus dilacerent. Sed, ſi quis cæco quodam impetu non impellatur, res ipſa profectò loquitur, non poſſe ſummam impudentiam eſſe cum vlla virtute coniunctam. Summæ verò impudentiæ eſt publicam authoritatem tam temere tāq; contumelioſe repudiare, quam Deus eſſe voluit apud omnes in ſumma quadā veneratione. Niſi verò certi dignitatum perſonarumq; gradus ſint, & ſuperiores ab inferioribus colantur, neceſſarium eſt protinus omnia fieri perturbationis plena: quod quanquam per ſe ſatis manifeſtū eſt, ex ijs quæ deinceps dicēmus, multò euidētius fiet. Cùm ergo iam ſatis oſtenderimus, quibus potiſsimùm bonis abundare deceat vniuerſam ciuitatem, deinceps ciuiū diſcrimen à nobis conſiderandum erit:

De Ciuium differentiis. CAP. I

DIFFERVNT ciues naturâ, inſtituto vitæ, & reliquis externis ornamentis: de quibus omnibus cùm à nobis antea multa dicta ſint, quatenus omnibus cōducunt, iā ex ijs perſonarum & officiorum varietatem inquiremus. A natura prouenit inſita corporis & animi nobilitas: quæ quidem inſtituto vitæ non tantùm conſeruatur, ſed etiam ſuum incrementum ſumit, & eam authoritas quoq; apud populum fermè comitatur. Cùm autem natiuitate nunquam, inſtituto vitæ raro, duo ſint pares, oportet vt inde ſit ingeniorum in Rep. tantum diſcrimen, quantum oratione nulla deſcribi poteſt: quod tamen per ſingulas Reſpu. vult à magiſtratibus diligenter perpendi: quo & ſingulis malis remedium, & bonis iuſtū inueniant incrementum. Tertia ciuium differentia maximè prouenit à fortuna: quanquam ad eam natura quoque & induſtria plurimùm valet. Quid autem appelletur fortuna, & an ipſa ſit quippiam in hac natura, quemadmodum multi arbitrati ſunt, qui non tantùm in rerum, ſed eam etiam in deorum numero collocarunt, latiùs diſputatur à Philoſophis, nec eius plenior inquiſitio pertinet ad hanc conſiderationem: ſi tamen Fortuna quid.

tamen illud vnum hîc & alibi ſemper intel-
ligamus, omnia diuina prouidentia planè
gubernari, nec in ea locum vllum vnquam
eſſe poſſe fortunæ. Sed naturæ voluntatiſq; humanæ motus obſcuriores frequenter
ſunt, quàm vt à nobis rationes earum intelligi poſsint, & eiuſmodi quidē ignoratio,
cùm aliud quippiam, quàm quod nobis
propoſueramus, incidit, facta noſtra cū fortuna coniungit. Ita multis optimè natis &
inſtitutis omnia deteriùs, q̃ decere videatur, ſuccedūt, alijs præter rationem omnia
proueniunt ex voto: præter rationē in quā
humanam, ſed tamen aliqua cauſa naturalis & diuina eſt, licet nobis ſit ignota. Vt
fortuna quoq; ſæpe cum natura rationeq;
ſe coniungit: vt dum prudentes homines diuites fieri videmus: quod tamen iam non
ampliùs fortuitū eſt, ſiquidem euidentes &
proprias cauſas habet ſed dū alij diuites fiūt, interim alij ſapiētiores ſępe miſeri ſunt,
& nec cur iā accidat cauſam euidētē reddere licet & ideo reijcimus eā in fortunā. Hęc
autem cùm latiſsimè pateat, et apud omnes
maximè ſit in ore, ideo nos ab ijs incipiemus, in quibus ipſa plurimum poteſt, &
hanc deinde cum ipſa ratione naturaq; cōiungemus, dū ſcilicet de magiſtratibus verba faciemus nam ſæpe fit, vt hi bene nati
ſint & inſtituti, populiq; bono iudicio conſtituti

ſtituti vel confirmati: quanquam in fauore ciuium magnam partem ſibi fortuna quoq; vendicat. Sed in diuitijs conſequendis & amittẽdis ipſa lõgè tenet principatũ de quibus eſt etiam à nobis proximo loco dictũ.

De diuitum et pauperum officio. CAP. II.

QVONIAM igitur ciues alij diuites, alij pauperes ſunt, ab ignobiliori parte, nimirum maiore, nunc exordium ſumemus, & interim etiam diuitum officium explicabimus: quãquã, hoc ex ijs, quæ priùs de iuſtitia tradita ſunt, intelligi poteſt. Res enim eadem ſæpe cum alijs multis tam eſt coniuncta, vt multis in locis eius mentio fieri velit. Quòd autem curandum ſit à magiſtratibus ne pauperes fiant ciues, quodque luxus & ignauia, quæ penuriam in Remp. introducunt, penitus eijci debeant, ex ijs etiam quę priùs dicta ſunt, & Perſarum, Romanorum ac aliorum populorum exemplis ſatis conſtat: inter quos alij, iuuentutem præcipuæ, frugaliſsimè nutriri volebãt, nec forũ quidem rerum venalium in vrbe ſua conſtitui patiebantur, alij non niſi honeſtiſsimas artes, & ad vſum vitæ neceſſarias, ciues ſuos diſcere permittebant; & ſic alij populi his & alijs

& alijs præclaris inſtitutis ad frugalitatem & laborem ciues ſuos exercebant: quò faciliùs & neceſſaria quærerent & penuriā tolerarent vel potiùs vt penuriam Reſp. ſua profligarent. Nam fieri vix poteſt, vt ij qui parcè viuunt, & ijs comparandis quæ requiruntur ad vitam diligenter incumbūt, paupertate magna premantur, niſi natura fortunaque deſiderijs eorum planè deſit. Sed qui iam non habent vnde viuāt, qui ſibi neceſſaria quærere nequeunt, omnino ſunt à ditioribus & ab ipſa Repub. iuuandi. Summū proculdubiò dedecus eſt à nobis Chriſtianis, qui calamitatibus ijſdem ſubditi ſumus, qui pietatis titulo tantopere nobis placemus, aut alijs ſaltem placere velimus, eos negligi quos adeò nobis ipſe Chriſtus cōmendarit, eos fame ſitiq; cruciari, eos humi iacere ſordidatos, nudos, afflictos & moribundos, qui non tantùm naturæ pietatisque nobis affinitate coniuncti ſunt, ſed etiam ipſius Chriſti locum tenent. Cum videamus etiam inter feras relictum eſſe miſericordiæ locum, ne homines quidem meritò dici poſſint, qui carent omni humanitate: tantum abeſt vt ſint Chriſtiani, qui non ſolum officium Chriſtiani negligunt, quod poſitum eſt in mutua beneuolentia, verùm etiam repugnant, non tātùm Chriſtianę,

Pauperū neglectus ſummum dedecus.

ſed

ſed etiam humanæ, vel potiùs vniuerſæ rerum omniũ naturæ, quæ proculdubiò mutuo quodam amore conſeruatur: conſeruatur quidem tota, ſed pręcipuè partes eius præſtantiores, quæ rationis etiam & maioris diuinitatis vinculo continentur. Idque eſt quod cùm diuinæ tum humanæ, ſed pręcipuè diuinæ leges, nobis mutuam beneuolentiam & beneficentiam adeo cómmẽdarint: id eſt, quòd omnes boni Chriſtiani nimirum dicuntur in vnum tam arctè coniungi. Quòd ſi in eo potiſsimùm amore eſt Chriſtianitas collocata, dubiũ eſſe nequit, quin eius omiſſio vehementiſsimè lædat Remp. Chriſtianam. Ergo totis viribus his præcipuis pietatis negotijs incumbamus, nec ducis noſtri ſigna deſeramus, quæ maximè nobis referunt mutuum amorem. Diceret aliquis, in tanta pauperum multitudine, quid poſſumus omnibus prodeſſe ſinguli? atqui multũ ſingulis poſſumus õnes: eos enim à nobis ali& ſuſtẽtari, paucosque fame perire videmus: quãquã etiã pereunt, quorũ vitalis ſuccus inedia diuturna ſenſim exhauritur. Curãdũ autẽ a nobis fuerat, vt paulò liberaliùs alerentur, idque vbiq; fieri poſſet publica authoritate, cum maximo commodo & ornamẽto ciuitatum, ſine tamẽ nimijs expenſis: pręcipuè ſi, ad excludẽdã fraudẽ hominũ, vel iniquè publica diſtribuentium, vel

Pauperes liberaliter alendi

vel in ſuos vſus multa vertentium, ſummâ diligentia adhibeatur. Non vſq; adeó multi ſunt, qui victum comparare non poſſunt, qui tamen ſæpe aliorum impudentia beneficio ſibi debito defraudantur. Nam viles iſti ſcurræ, vt minus verecundi ſunt, ita & morbos egregiè ſimulare, & pijs hominibus impiè fucum facere norunt: qui per magiſtratus neceſſarijs operis adiūcti, Rēp iuuarent, facile ſibi victum lucrarentur, & integrè miſeri diuitum beneficio fruerentur. Inſuper hac arte multi meliùs tractati à morbis, quibus varijs obnoxia paupertas eſt, curari poſſent, & hoc pacto ciuitatibus etiam vtiles reddi. Quid, quòd pauperum ciuium filij, qui nihil aliud alioqui, quam impudenter per vrbem vagari diſcunt, etiam inſtitui liberaliter poſſent, & negotijs ingenio cuiuſque accommodatis adhiberi. Nec dicat quis eiuſmodi rationibus occaſiones exercendæ pietatis de medio tolli nā nō minùs pium fuerit per magiſtratus, qui optimè beneficia diſtribuere norit, pauperibus aliquid largiri, quàm te id ipſum in vſus incertos expendere, imò etiam interdum in graues abuſus: nō quòd aliquā culpam pietatis eſſe dicam, ſed ꝙ ob id pietas non ſit impia, ſi cum prudentia fuerit coniuncta. Deinde, ſi quid publicè numeras, icirco non interdiceris exercere pietatē priuatim:

Paupe-res pere-grini quomo-do trac-tandi.

priuatim & inſuper nulla ciuitas ſine miſe- ris peregrinis eſt, qui ſæpe miſericordiam beneficiumque noſtrum vel maxime merẽ tur. Hi tamen ne impudenti licentia vagen- tur, & alienas Reſp onerent, cogendi ſunt, vt ad ſuam, ſi poſſunt, diſcedant, ſi verò per morbum nequeunt, fuerint etiam publicis expenſis humaniter alendi. Nam cùm om- nes varijs caſibus obnoxij ſimus, idem ci- uibus noſtris in externis vrbibus fieri veli- mus. Certè quemadmodum ſcriptum eſt apud Platonem, nullum maius peccatum, quàm cõtra hoſpites, præſertim ſupplices, eſſe poteſt. Ergo tam ciues, quàm exteri, ſunt humaniter à nobis iuuandi: Nã diui- tiæ nihil aliud quàm inſtrumentum ſunt, quo comparentur ea, quæ neceſſaria ſunt ad vitam, non tantùm nobis, ſed ijs etiã om nibus, qui noſtram opem requirunt, & illis maximè, qui nobiſcum magis ſunt legum vinculis coniuncti: inter quos primum lo- cum parentes reliquique ciues, & inſuper etiam omnes homines ſuum tenent, ſecun- dum ea iuſtitiæ præcepta, quæ tametſi ſunt in vniuerſum ſatis à nobis ſuperiùs explica ta, nunc quantum ad rem præſentem atti- net, breuiter repetemus. Cùm itaq; diuitũ officium proprium ſit, vt ſemper quantum poſſunt miſeris hominibus ſubueniant, id ipſum fuerit ab ijs cum magna prudentia

L. 5. de Leg.

Diuites ſciuene iuſtitiam erga paupe- res.

faciẽdum: vt omnia ſecundum dignitatẽ & dãtis & accipientis fiant: vt qui ſunt alijs ditiores, plus etiam diſtribuant, & plus adſequantur, qui grauiore penuria laborant, ac inter eos meliores reliquis præferantur. Omne nimirum ciuium officium virtutem & vtilitatem ſpectat, & potiùs eam, quæ reliquis omnibus antecellit. Itaque magis iuuandi ſunt meliores: nec id tantùm, ſed ab omnibus curãdum etiam eſt, vt omnes meliores fiant. At quoniam etiam beneficium accipientis conſideratione æſtimatur, quãtò hic fuerit miſerior, tãtò debet illud quoq; præſtantius iudicari: quoniam magis intereſt Reipub. vt periclitantes ciues liberẽtur, quàm vt alij promoueantur. quanquã hic quoque, quemadmodum in alijs omnibus conſiderandum eſt, vnde Reſp. maiorẽ vtilitatem adſequatur. nam id ipſum ab omnibus fuerit omnibus modis faciendum, nec tantùm maiores, ſed etiam plures, imò ſi fieri poteſt, omnes vtilitates ſunt eligendæ, vt ſi qui mali ſint, ægroti & pauperes, debeant meliores, ſani ditioreſque reddi, ſiquidem Deus nos, tametſi peſsimos, maximis beneficijs affecit. Sed quatenus pauperes pecuniæ defectu ſunt inferiores, par eſt, vt eatenus diuitibus ſe ſummittant: nam, cum arrogantia neminem deceat, omnium turpiſſimè fuerit cum inopia cõiun-

Beneficium æſtimatur ab eo qui accipit.

Pauperũ officium.

da Quanq̃ non min⁹ turpe, nimirũ inhumanum et crudele fuerit, ſi diuites ſuperbiam exerceant in homines ſupplices et calamitoſos. humaniter ergo ſapienterq; pecunias in vſum pauperum diſtribuant, nec id tãtum, ſed etiam reliquis omnibus ſuis prę ſidijs ſemper vtantur in Reip. totius felicitatem. Qui maiorum ſuorum auctoritate multum valent, nec eam exercent ad publicam gloriam & vtilitatem, cum qua non ignorant, aut ignorare debent, ſuam etiam eſſe coniunctam, ij cum natura nobiles ſint, inſtituto vitæ ſeſe ignobiles reddunt. Vera nanq; nobilitas ſine veris virtutibus vnquã eſſe nequit. Ergo quiſq; quantum poteſt animum & corpus Reip. exerceat, naturam ſuam exercitatione continuò meliorẽ reddat, & omnibus fortunæ bonis ad communem felicitatem vtatur.

Pecunijs quomodo vtendum.

Nobilitas vera

De *Magiſtratibus*. CAP. III.

QVI verò naturam optimè compoſitam habent, & in virtutibus diligentiſſimè ſunt verſati, digni ſunt, qui teneant inter ceteros principatum. Ita fit vt eiuſmodi hominibus meritò publica poteſtas communi cõſenſu detur: & inde magiſtratus ſuam auctoritatem obtinuerunt, de quibus hic de-

Poteſtas publica.

deinceps diſſeremus. Plures homines, quoniam omnibus negocijs omnes intereſſe nequeunt, in quoſdam præſtantiſſimos poteſtatem ſuam conferre ſolent, quos, ſi opus ſit, totis viribus ſunt adiuturi: & ita publicò conſenſu officia publica ſunt conſtituta, cum quibus prouidentia diuina, qua nihil potentius eſt, ſe coniungit, à qua quidẽ principatus omnis præcipuam ſuam auctoritatem habet. Hæc enim multorum hominum voluntates congregat, nec, donec ſibi viſum fuerit, eas patitur diſſolui. An autem neceſſarium ſit, vt is qui magiſtratum geſturus eſt, conſentiat, quæri poſſet: atqui oportet vt bonùs ciuis conſentiat cũ omnibus in communem felicitatem. Quod ſi verò ſciat ex vſu Reip. non eſſe, in magiſtratum ſe creari, iuſtis excuſationibus alios in ſuam ſententiam trahat aut Repub. ſua ſe ſubducat potiùs, quam ſtatum communẽ adminiſtratione ſua publica lædat. Oportet autem, vt optimus & ſapientiſſimus ſit, qui cúnquè magiſtratum eſt rectè geſturus: ſed id multas ob cauſas raró contingere dicit in Rep. ſua diuinus Plato. At enim hoc ſpacium, in quo verſamur, tanq̃ vaſtiſſimũ & tenebricoſiſſimũ quendã eſſe ſpecum, in quẽ innata propẽſitudine ſic totis ſenſibus trahamur, vt nec vnq̃ reſpicere, nec externa iucũdiſſima luce nobis hic planè liceat frui,

Principatus à prouidẽtia dei.

tãtùm enim nos intueri quaſdam rerũ vmbras, nec eas quidé euidétes, ſed quas obſcu ra tanq̃ facula tranſitu rerum in interiorẽ antri faciem depingat, niſi multo ſtudio et pietate ſolutis craſſis ſenſuum vinculis, pedetentim recurramus, et ſenſim fulgori diuini luminis aſſueſcamus: in illa verò luce æterna, quæ, cum ſplendor ſit ſummi boni, ſecum et afferat veriſſimam vitam et viuam veritatem, ſapientes omnes libétiſſimè verſari dicit, eoſque ſi repentè compellantur in hunc ſpecum, ſubita caligine victos, nihil omnino videre, quemadmodũ nec eos, qui confeſtim e denſis tenebris in apertam Solis lucem emergunt. Ita iudicat eum qui feliciter ſit Rempub. gubernaturus, ſubinde debere tam tenebris aſſuefacere ſe quã luci: quoniam è luce rerum gerendarum ratio proficiſcatur, & tenebræ cerni non poſſint, niſi quis priùs eas didicerit ferre. Hinc autem eſſe cenſet, quòd pauci magiſtratus boni ſunt: quoniam á tenebricoſis hominibus, quales ferè magiſtratum eligunt, verum lumen nec cognoſcatur nec ametur, & quoniam qui diu in iucundiſsima luce verſati ſunt, in tenebris viuere non velint, nec ſi velint poſsint, niſi cogantur in illis ſubinde morari: Certe neceſſarium eſt, vt in felici Rep. prudentiſsimi ſint, qui magiſtratum gerunt. Primùm ſuam familiam omnẽ

ſeruare poſſunt Remp. Nam etiam ſi optimè ſit inſtituta, quod quidē noſtris, aut etiā alijs, ſed precipuè noſtris temporibus raro cōtingit, tamen cùm leges tanquā inſtrumenta quædam ſint, nihil efficere poſſunt, niſi quis illis egregius artifex vtatur. Quemadmodum itaq; pluris eſt faber aut arator, quàm ſit malleus aut vomis, ita maius conſilium circa moderatores vrbiū, quàm reliquas conſtitutiones adhibendum fuit: quoniam interdum leniri, frequēter inſtrumenta regendæ Reip. pro materia debent exaſperari, ſæpius etiam in nouis negotijs inſtrumenta recentia fieri. Falluntur autem inſigniter, qui magiſtratum ſe præclariſsimé gerere putāt, ſi ſemper intolerabili grauitate tantùm crimina punire videantur: nā quanquàm vnam æquitatis partem tuentur, alterā tamē violant. Ius enim nō tātùm malos homines punit, ſed etiā bonos ciues extollit. Quapropter nō oportet, vt ſimiliter tā erga bonos, quā erga malos, ſuū acerbiſsimū imperiū exerceāt: boni enim id ægrè profectò, nec immeritò, ferēt, quòd ſuis honoribus defraudētur, & malis hominib⁹ pares habeantur: ideoq;, cùm natura nō admodū ſimus proni, fiet etiā, vt ad res preclaras adhuc multò tardiores reddamur. Deinde ex hac acerbitate fieri ſolet, vt qui liberiori generoſiorique ingenio præditi ſunt,

Magiſtratuū creatio ſummū conſiliū requirit.

Magiſtratus circa præmia verſantur.

vel cum exilio huiuſmodi iniquitatem cō-
mutent,vel in ſeditionis pernicioſiſsimum
quidem,ſed alii tamen animi crimen impel
lantur:vnde quanta mala proueniāt, Lace-
dæmoniorum ciuitas , Athenienſium &
Romanorum,& aliæ quàm plurimæ ſatis
declararunt.Itaque cùm ſoli boni viri poſ-
sint incolumem Rempu.conſeruare,pluri-
mum refert,vt Magiſtratuum Principum-
que tyrannide non exaſperentur. Natura
comparatum eſt,vt ſcelera virtuti cedant,
virtus autem præmijs alatur : quæ ſi nulla
ſint,neceſſum eſt , & illā diminui malorū-
que prouentum augeri.vt autem eſt vtilior
medicus, qui corpora ſemper ſana poteſt
ſeruare, quàm qui poteſt laborātes partes
abſcindere:ſic multò melior eſt magiſtratus
qui virtutem alere,quàm qui vitia reſecare
nouit.Quid enī prodeſt multas malas her-
bas euellere,ſi nec agrum colas , nec ſemi-
nes,nec ſitientem ſegetem riges ? Quòd ſi
hæc priùs feceris , facillimè noxia poteris
extirpare: quæ vel ipſa fertilitate bonæ ſe-
getis obruentur. Sed qui & bonos huma-
niter tractare & malos ſeuerè nouit,is pro-
culdubio optimus erit magiſtratus.Ne ve-
rò ſapientibus admodum eſt difficile diſ-
cernere bonos viros à malis : virtus enim,
quæ ſummum ſecum affert ſplendorem,
ſemper eluceſcit:niſi haberemus mētis ocu

los caligine priuati fauoris obſcuratos,qui nos cuiuſq; dignitatem & vtilitatem Reip. intueri non ſinat.hinc fit,quòd quiſque po tiſsimum eos,quos quacúque de cauſa ma ximè diligit,ad honores ſummos euectos cupiat at quoniam ex malis negotijs, quæ iam magis vſitata ſunt,frequentiores amicitiæ conflantur,ac vnuſquiſque rei potiùs priuatæ,quàm vtilitatis publicæ curam gerit: hinc fit,quòd deteriores ſæpiùs melioribus imperent,& pro virtutibus vitia paſſim regnent.Profectò cùm in reliquis multis rebus,tũ præcipuè in magiſtratibus eligendis,non poſſum earum ciuitatum prudentiam ſæpe non admirari, quæ vt olim optimè gubernabantur, ita etiam diutiſsimè floruerunt. Cùm enim viderent fauoré iuſtitiæ vel plurimùm aduerſari,multos primùm in magiſtratus eligi voluerunt,è quibus numerus eorum,qui neceſſarius ad res gerendas eſſet, quibuſdam religioſiſsimis ſortibus inueniretur. Iudicium enim humanum raró quidem incorruptum eſt, & etiã ſi fuerit omnino ſincerum,ſæpe decipi ſolet,nec omnes qui videntur negotijs obeundis ſemper ſunt accommodati. Sed ſi è multis illis meliorum electionem diuino iudicio tradamus,dubium eſſe non poteſt, quin id vehementer pertineat ad Reip.felicitatem.In initijs autem potiùs vtemur ele-

Magiſtratus malè cur eligãtur.

Magiſtratus quomodo eligẽdi.

electione quàm ſortibus: quoniā oportet nos primùm noſtram diligentiam adhibere, at ſemper tamen ad diuinam opem cōfugere. Hæc ars inter innumeras alias vtilitates etiam iſtam non minimam ſecum affert, quòd licet ſortiti maiorem obtineant auctoritatem, omnes tamen electi prope parē videantur habere dignitatē, quę vehementer ad æmulationem virtutis ciues omnes incitare poteſt. Certè ea Reſp. feliciſsimè gubernatur, in qua maximo cōſilio magiſtratus eliguntur: quod ex hiſtorijs & ratione rerū tam manifeſtum eſt, vt nullam demonſtrationē requirat. Verùm, quanquā magiſtratus omnes & quicunq; munere publico funguntur, debeāt eſſe reliquis ciuibus meliores & ſapientiores, cùm tamen officia diuerſiſsima ſint, nō oportet vt omnes ſint pares. Aliud, officium pacis eſt, aliud autem belli: quod quidem vtrunq; ſummam virtutem, ſed hoc poſtremum etiam corporis vim requirit. Rurſus aliud in rebus externis eſt, aliud circa corporis curā verſatur, tertium potiùs ad animum pertinet: quædam etiam ex his quodammodo ſunt commixta. In externis rebus verſantur publicani, quæſtores, & ſi qui ijs ſimiles ſunt, qui vectigalium, tributorum, fructuum publicorum, & pecuniarum Reip. rationē reddūt: quibus fermè ſatis eſt, quòd

Magiſtratuū differentia.

Quæſtores.

boni

boni logiſtæ ſint & fideles.

De Artificibus publicis. CAP. IIII.

IN ijs qui publicis operibus præſunt, vt fabris & architectis, & corp⁹ aptũ & artis eius quã quiſq; profitetur, ſumma peritia deſideratur. Cõſiderandũ eſt igitur, quibus reb⁹ cõmunib⁹ indigeat ciuitas, vt tẽplis, ædibus, propugnaculis, machinis, & id genus alijs, ac ad eas artes, quibus ea fiant, aptiſſimi ciues inſtituendi ſunt: ſed in ijs quæ pertinent ad quotidianũ vſum, ſumma fuerit adhibẽda cura, quæ tametſi priuata ſint, tamen in totã Rempub. redundant, à priuatis enim hominibus ferme venduntur & emuntur, ſed emuntur tamen ab omnibus, & ideo, ſi fieri poſſet, ea ſatius eſſet etiam ab ipſa Repub. vendi: quod quidem à quibuſdam populis, in ijs rebus, quæ continuis hominum neceſsitatibus ſeruiunt, vtiliter fieri videmus. Ita certè meliora, pretijque minoris erunt omnia, multiſque impoſtoribus in ciuitate nõ erit locus. hiſce rebus qui præerãt apud Romanos magiſtratus, Aediles curules appellabãtur. Ab ijs, & eius generis alijs prouidendum eſt, vt omnia quàm minimo pretio comparentur, ne quid neceſſarium venale non ſit, ne quid

Fabri publici.

Alimẽti quotidiani cura.

quid inutile vẽdatur,& vt monopolia penitus & fraudes omnes de medio tollãtur. Oportet igitur vt ſagaces ſint,nec tantùm earum rerum,quibus præfecti ſunt,ſed etiam quod difficillimum eſt, vt ingeniorum & captionum omnium ipſi ſint periti. Verùm non tantùm in cibo & potu,ſed in veſtibus,in ædibus,& alijs hæc ars adhibenda fuit,in ijs tamen præcipuè,quæ maximè neceſſaria ſunt ad vitam,& in quibus maximè peccatur. At quoniam etiã externis hominibus vrbes patere debent, hi non minus,imò magis humaniter,quàm ciues fuerint tractandi:nam in quanto pretio ſemper hoſpitalitas fuerit, ex omnibus hiſtorijs & ſcriptoribus antiquis,& ex Homero ſolo poteſt eſſe manifeſtum. Ergo diuerſoria commoda ſint,& tam multa quæ ſufficiant hominibus externis:nam ciues honeſtiùs domi ſuæ verſantur. In ijs omnia ſint, non tantùm quæ famem & ſitim tollere, ſed etiam quæ laſſos recreare poſſint:præfecti verò tales ſint,qui nemini iniuriã fieri patiantur,viri nimirum boni, auctoritate publica conſtituti :nam quantum idipſum referat,exempla multorum & experimenta ſatis euidenter docent. Ad corporis curam oportet vt medicos publicos,pharmacopolas & alios ægrotorum miniſtros habeat ciuitas;nam quàm optabilis ſanitas

Veſtium et ſupellectilium cura.

Diuerſoria publica.

Medici publici.

ſit,

ſit,omnes quidē,& ij maximè,qui aliquando ægrotarunt ,optimè ſciunt:at artifices qui publico iudicio ſunt comprobati ſolent eſſe reliquis præſtantiores.

De cenſoribus et iudicibus. CAP. V.

SED animorum magnam curā gerere vehemēter neceſſarium, ſummæq; cuiuſdam & virtutis eſt & artis. Virtutes autē & vitia minora notabant apud Romanos Cenſores,qui profectò,ſi qui alij,maximè neceſſarij ſunt in ciuitate bene conſtituta:nam animus cum corpore vel externis vllo modo cōferri nequit,& etiam ipſe eſt,qui corporis & externa bona corrumpit.Neceſſarium eſt igitur,vt ſint,non tantùm qui ſcelera puniant,ſed etiam qui leuiora peccata, vel infamia,vel alio damno notent, nam & minima quæq; tandem magna fieri ſolent, & ſi quis aliquid ingenuitatis habet, non minùs infamiam,quàm ſupplicium pertimeſcit,ſi hoc ſemper non haberet illam ſecum coniunctam.Sed oportet,vt is qui vitia reprehenſurus & virtutes rectè laudaturus eſt,ipſe laudabilis admodum ſit,in quē nullum vituperium cadat: oportet vt vir optimus ſit & eximiè prudens,qualem Catonem illum & Ariſtidem legimus fuiſſe. Cenſores

Nec

Nec tantùm publicos cenſores veteres habebant, ſed illæ gentes quæ cõmeſſationibus delectabantur, in quibus maxima vitiorum materies eſſe ſolet, etiã in ipſis conuiuijs iudices eſſe volebant, qui præſcriberẽt comedendi, bibendiq; modum: eos autem Mnamonas appellabant: qui quidem ſint inter ceteros vehementer continentes.

Iudices criminales.

Moribus planè perditis coërcendis prępoſiti iudices ſunt, qui pro peccatis magnis magnam pœnam imponunt. Quoniam autẽ non omnia, vel nulla potiùs paria ſunt: hinc magnũ eſt ſuppliciorum diſcrimẽ, ſed omnia tamen in tria genera redigere licet, in externorum iacturam, in dolorẽ & corporis damnũ, & in mortem: ſed de ſupplicijs inferendis antea ſatis eſt dictum. Cùm verò iudicẽ prę ceteris oporteat eſſe iuſtũ, ab eo diligentiſsimè prouidendum eſt, ne cuiquam ciui vel extero, vel Reipub. iniuriam faciat, ſed vt in omnibus leges ciuitatis exactiſsimè ſequatur. At quanq̃ omnis iniuria deteſtabilis ſit, maius tamen corporis damnum eſt quàm externum, & vita nullis alijs bonis vnq̃ compenſatur: quapropter in vltimis ſupplicijs inferẽdis ſummo quodam conſilio eſt opus.

Iudices rerum ciuilium

Sed tamẽ & iudices rerum externarum etiam ſint valde circumſpecti: iuſtitia nimirũ eſſe vult admodũ exacta, nec vnquã, ne in minimo quidẽ ab vl-

lo,

lo, minimùm tamē à iudice violari. Vidētur autem etiam iudices rerū ciuilium, partim circa animū, partim circa corpus & externa verſari: volūtas enim animę ſummæ pars eſt, cuius ipſi vim & differentiam omnē, ſed potiſsimùm in his rebus externis diſcernunt. Cōſiderant enim quid voluerint plures homines & quid potuerint, vt etiam antea dicebamus: id autē cùm frequēter admodum obſcurum ſit, neceſſariū eſt, vt tā hi, quàm alij iudices omnes habeant mētis oculos valde claros, vt magnū conſiliū & deliberationem adhibeant, quemadmodū eſt apud iuriſcōſultos, & etiam vt velint id quod ſciunt, vt nullo fauore vel in hanc vel in illam partē trahantur, ſed rectum rationis diuinæq; voluntatis iter ſemper obſeruēt, nec tantùm iuſtas, ſed etiam certas & claras ſententias dicant. Verùm huius inſtituti nō eſt hæc omnia latiùs explicare. Rebus magnis & cōmunibus gubernandis ſolet præeſſe ſuperior ſenatorū & conſulum magiſtratus: ſed hæc in diuerſis Rebuſp. ōnia ſunt diuerſa. Romani etiam tribunos habebāt, apud quos plebs erat ab optimatibus quodam modo diuiſa: vnde frequenter graues ſeditiones natas videmus. Semper enim optimum eſt, quicquid ex omnibus ſuis partibus in vnum eſt maximè coniunctum. Senatores.

Sed quibus officijs publicis veteres vſi ſint, non propoſuimus nobis explicandũ: quã multa verò in bene formata Rep. requirantur officia, rerum & hominum multitudo demonſtrat. Si cenſus publicus amplus eſt, & frequentes ciues, multis magiſtratibus eſt opus. Videndum eſt quibus rebus qui homines ſufficiant, vt nihil vſquam deſit, nec etiam abundet: nam cùm magiſtratus ſumptibus publicis ferme viuant, nõ decet vt ſint plures, quàm quos Reſp. commodè alat. Nõ autem tantùm officia rebus & hominibus, ſed & officijs officia præeſſe debent: ſic in bello multi Decuriones ſunt & Centuriones, qui omnes legionis ſuæ duci parent, & omnibus ducibus vnus ſuperior eſt Imperator: id etiam in officijs pacis eſt obſeruandum, vt videamus non ſolùm quã multæ quamq; magnæ res in Rep. ſint, quãq; multos & quales gubernatores requirant, ſed etiam quàm multis ſit opus, apud quos alij officij ſui rationem reddant. Ita quoniam facilius eſt iudicare quàm agere, & quia plures iudicio paucorũ ſubijci poſſunt, continuò gubernatoribus gubernatores præeſſe oportet, donec à multis ad paucos, & à paucis ordine tandem perueniamus ad vnum. Quòd ſi rurſus à ſummis ad ima deſcendere velimus, bonus Princeps à bonis conſultoribus cognoſcet, quid ipſi

Officia quam multa eſſe debeant.

ab

ab alijs acceperint, & à tertijs ſecundi, donec deuentum ſit ad poſtremos. ſic ab imis ad ſumma rerum cognoſcendarum & cōficiendarum rationes in pulcerrimam analogiam conſpirabunt, & à ſupremis imperandi, ab imis ordo parendi confluet in optimam & tutiſſimam Reip. totius compoſitionem.

De Principibus Reipub. CAP. VI.

VERVM inter eos qui ſummum aliquem gradum tenent, nondũ omnes ſunt pares. Quidã enim in ſubditos ſuos omnem optinent auctoritatem, vel de bonis externis vel etiam de vita, cùm iudicandi tum exequendi, & eam legibus non definitam, ſed planè liberam habent, q̃uis interim vnum aliquem aut plures ſuperiores agnoſcunt: qui licet ipſi alijs planè imperẽt, in q̃buſdã tamen rebus, quæ ſcilicet communem & magnam regionum vtilitatem continent, alterius imperium ſequi cogantur: quidam iudicandi tantùm ſecundum leges, & non omnino liberam in ſubditos ſuos poteſtatem obtinuerũt. alij verò ſummi ſunt in rebus humanis, nec alterius imperio quàm ſolius Dei tenentur, & aliæ quædam, vel etiam ex his miſtæ differentiæ ſunt, quę par- Principũ differentiæ.

tim ex hominum conſenſu, partim ex aliqua violenta poteſtate, vel potiùs omnes à diuina prouidentia ſuam originem habuerunt, nec hoc loco latiùs ſunt à nobis inueſtigandæ. Sed in quotcunque partes poteſtas publica diuiſa ſit, antea iudicauimus eam omnẽ in optima Rep. vnius imperio debere contineri. Quoniam itaque monarchiam inter ceteras Reſp. volumus eſſe præſtantiſsimam, in ea ſummus aliquis princeps ſit, qui vt poteſtate, ita virtutibus, quãtum imbecillitas humana patitur, ad imitationem Dei Opt. Max. proximiùs accedat. Nam, vt ſcriptum eſt apud Platonem, nec reliquis animantibus animantia, ſed homines potiùs, nec hominibus homines, ſed vel dij vel dijs ſimillimi præeſſe debent. Princeps igitur intentiſsimis oculis ad diuinam voluntatem ſemper aſpiciat, ad eam inſtituat omnem rerum cùm priuatarum tum publicarum gubernationem; nec princeps tantùm, ſed reliqui quoque magiſtratus, & etiam omnes ciues, præcipuè tamen ille qui præcipuum in Rep. locum Deoq; proximum tenet. Cùm autem Dei voluntas ſancta ſit, opus illi fuerit ſumma quadam pietate, cumq; nobis partim ſacris partim naturæ literis ſit deſcripta, eximia pariter illi, vel conſultoribus ſaltem eius, eruditione fuerit opus. Operæpretium eſt igitur, vt

Princeps ſummus qualis eſſe debeat.

L. de leg. l.3. de Repub.

Prin

Principes ſancti ſint & prudentes,ſanctisq́; conſultoribus,vt inquit Iuriſconſultus ,& eruditis vtantur:aulas eorum oportet eſſe gymnaſia quædam ſapientiæ & pietatis,vnde ciues omnes omnium virtutum exempla ſumant.Omnibus itaque virtutibus inſtructus ſit,& ſe tanquam amuſſi in rebus omnibus princeps vtatur: nam ipſe tanquam exemplar quoddam rerum gerendarum eſt,cuius lex eſt opus & ſimilitudo. Legis autem finis ius & æquitas appellatur: æquitate verò ſubditorum quidem vtilitas & ſalus;ſed hac tamen etiam principis felicitas continetur. Tam bene ſiquidem res omnes inter ſe conſentiunt; vt is qui prodeſt alijs,ſibi non poſſit non prodeſſe: ſed tamen felicitatem publicam non ſuam ab eo præcipuè ſpectari decet. Vt autem eam ſuis omnibus poſtpoſitis conſequi ſciat & velit,& vt quod mente conceperit exequi poſsit,in eo virtus ſola ſatis non eſt,niſi officij quoq; ſui exequendi habeat auctoritatem. Quapropter opus eſt vt diuitijs & miniſtris abundet:vt,quanquam amore beneuolentiaq; nihil melius eſt, ſi quid hoc pacto confici nequit , auctoritate & iuſta quadam violentia fiat.Recte tamen Plato monet,vt virtus Principis magis admirabilis ſit,quàm fortuna,potiusque velit is eſſe princeps quàm videri,& vt populus potiùs

Pla.in epiſtolà ad Dió.

Ariſto. l.3.c.4. Polit.

Princeps requirit poteſtatem.

Ariſto. l.c. Cap. 14. Pol. eius virtuti ſpõte, quàm poteſtati per vim, obſequatur: quoniam pulcerrima quædã res eſt hoc modo liberis hominibus imperare. Quapropter iubent Philoſophi, vt Princeps tam multos miniſtros habeat, qui ſufficiant ſceleratis, non autem omnibus ciuibus coercendis. Sit itaque princeps vir optimus, ſummus Reip. amator, ſapientiſſimusq́; gubernator, bonis amabilis, ſceleratis & hoſtibus, niſi iam hi deuicti ſint, metuendus. An autem ad clementiam potiùs, quàm ſeueritatem, inclinare debeat, in vniuerſum definiri nequit: ſunt enim homines, tempora, negotia, quæ clementiam potiùs, ſunt etiam quæ propter ſcelerum magnitudinem, ſeueritatem requirant. Rectè profectò Rex quidam, qui cùm aliquis qui capitale crimen commiſerat, á Iudice fuiſſet abſolutus, pro illo reum, pro ſecundo ſcelere, quod hîc poſtea perpetrarat, iudicem ipſum, quòd eum prius abſoluiſſet, tanquam eius poſterioris ſceleris auctoré, condemnauit. niſi tamen grauius aliquod malum timeatur, princeps magis ad clementiam ſit propenſus, quam in omnibus principibus ſemper maximè laudatam, quã uis in paucis incorruptam fuiſſe videmus. Cn. pompeius multos reges deuicit et multis etiam poſt victorias regnum reddidit, ſed tamen ſupplices eos fecit. Cæſar ille, qui animi

Pla. l. 8. de Leg.

Pinceps an ad clementiã debeat eſſe propenſus

animi magnitudine perdomuit orbem terrarùm, vir ſummi iudicij, & eruditionis ſingularis, maluit clemētia, q̃ alijs virtutibus, reliquos omnes ſuperare: verùm, quanquã multos inimicos poſt victoriam ciuitati reſtituit, patriam tamē ſuã euertit. Quis paratior ad res gerēdas, quis animoſior in periculis, quis in prelijs fortior vnquam Alexandro fuit? ſed potiùs ob clemētiam, quam animi magnitudinem celebratur: nec tam laudãt homines, quòd Darium potentiſſimum regem ſuperarit, quàm quod vxorē filioſque Darij tam humaniter tractarit, quòd inimici cõiugē defleuerit, quod acerrimùm hoſtem ſuum morientem lacrymis ſit proſecutus: ſed tamē interim ab eo ſunt amici crudeliter interfecti. Ea calamitoſiſſima conditio rerum omnium humanarum eſt. Rariſſima videre licet clara magnarum virtutum exempla, & ea vitijs & ſceleribus varijs modis contaminata. Sed inter omnes virtutes, in perfecto Principe, qualē in noſtra Rep. deſideramus, benignitas & clemētia, ob quã officiũ iuſtitiæ nunquam violetur, præcipuè celebratur: ac in eo etiam & in alijs diuitibus liberalitas maximè laudatur, in qua tamen, quemadmodum nos etiam antea monſtrauimus, cuiuſque dignitas eſt iuſtitiaq; ſeruanda: ne vel immeritis quicq̃, vel bene meritis minus quàm oporteat

Princeps liberalis eſſe debet.

largiantur: ſi tamen hoc commodè fieri poteſt. Non autem tam liberalis princeps, vel prodigus ſit potiùs, vt ne ſibi ſuisq; deſit, ab alijs iniuſtè quicquam ſumere cogatur: nam nón volunt eſſe beneficia cum maleficijs vnquam coniuncta. Sic igitur ſingulis proſit ciuibus, ne obſit alijs, & ſemper totam Remp. iuuet, nec aliquem vnquam iniuſtè lędere patiatur. nam vt antea diximus, alia iuſtitiæ pars in faciendo eſt, alia verò in omittẽdo ſemper autẽ virtutes humanitatis cũ dignitate ſua cõiũgat ne leuior ſit, quã vt auctoritatẽ violet, vel magis grauis, quàm vt ferri poſsit. vbi conſiderandum, quòd ea quæ nonnullis in locis, temporibus, & hominibus leuitas aut ſeueritas eſt, alibi mediocritatis appellationem & æſtimationem habet. Talis igitur vir, qualem nunc ferme deſcripſimus, populi conſenſu meritò ſummũ imperium in Rep. ſua tenet, reliqui ordine medium aliquem aut vlteriorẽ: & ſic in bene conſtituta ciuitate, quemadmodum & in natura rerũ, omnia pulcerrima quadam analogia conſpirant in vnum optimum omnium finem: inferiores ſuperiorum auctoritatem, ſuperiores inferiorum vtilitatem, omnes autem diuinam voluntatem ſemper intuẽtur, & pariter optimos plurimosq; communis beatitudinis

Principis humanitas ſit cum dignitate

fru-

fructus vniuerſæ Reip. ſinguli ferũt. Quãquam autem difficilimum eſt & impoſsibile eiuſmodi Reip. perfectam ſpeciem in his rebus humanis videre, curandum tamen, vt proximam aliquam, vel ſaltem non remotiſsimã teneamus: quod faciliùs fiet, ſi principes optimi prudentiſsimiq; ſint, & ea bonorum genera, de quibus antea diximus, per vniuerſam Remp. diligẽtiſsimè ſerant, animos omnium, & eorum maximè, qui reliquos excellere debent, excolant, ac vitia penitus eradicent. Ager enim incultus & horridus eximios fructus proferre minimè poteſt: & cum humana natura tam ſit ſterilis, imò tam tribulorum & ſpinarum ferax, opus eſt, vt eam exercitatione culturaq; magna ſubigamus, ſi modò quicquam eſt egregij nobis editura. Multũ intelligebant veteres illi Aegyptij, Græci, Romani, qui tam concinnè ſuas habebant diſtributas Reſp. vt quid eſſet in quaq; parte vel vitij vel virtutis facilè tum diſcerni tum etiam vel caſtigari vel laudari poſſet: ingenia ſimilium hominum locis etiam cõiungebant, diſsimiles autem ita ſeparabãt, vt dignitas cuiuſque ſemper incolumis ſeruaretur, & vnuſquiſq; meliùs officium ſuũ exerceret. Aemulatio nimirum vehementer iuuat artes, & melius id omnes profectò faciunt, quod à multis ab ętate tenera

In Rep. In Timæo. ſimul didicerunt. Itaque Plato, non tātùm ſecundum artes, ſed, quod longè dificilius eſt, ſecundum mores diuidi vult ciues, & malos à bonis planè ſeparari. Certè maxima quædam res eſt ordo cōcinnus cùm rerum tum hominū in ciuitate, & ideo veteres circa decentem omnium diſtributionē tam vehementer laborarunt. Multum ego vidiſſe iudico Seruium illum Tullium ſextum Romanorum Regem, qui cùm populum in centurias pulcerrimè diuiſiſſet, in omnibus dignitatibus iuſtum ſeruari ordinem voluit, & curauit, vt diuites plus quàm pauperes numerarent, in ſuffragijs ferendis etiam plus auctoritatis haberent, & omnes ſe ad Remp. in bello paceq́; tuendam & augendam diligentiſsimè exercerent: vt & domi res egregiè adminiſtrare, foriſq; prælia fortiter inire ſcirent. Ita, quemadmodum Græci habebant Olympica, Pythia, aliaq́;, ſic etiā ſuis ipſe propoſuit certamina, quibus animos corporaque ciuium exerceret ad res præclarè gerendas. Qui verò corpus & animum validum & exercitatum habēt, mirùm eſt quantum reliquis antecellant: qui neutrum, vel alterum tantùm, nec ſibi nec patriæ gloriam vllam afferre poſſunt. nam nec corpus ſine animo quicquam efficiet, nec animus ſolus, quantumuis bonus, ſi languido corpore rebuſq; gerendis non

accommodato vtatur,ſufficiet ad præclaras actiones. Certè diſciplina potiſsimùm effecit,vt Græci,Romani,aliæq; gentes,& domi feliciter viuerent,& aduerſus hoſtes triumpharent,diſciplina inquam,tum belli,tum etiam pacis.

De Bello & Militibus.
CAP. VII.

VERVM, quoniam antea ſatis multa pro inſtituto dixiſſe videamur,quibus bonis abundare debeat Reſp.& iam proximè ciues deſcripſimus, qui ijs Reipub. bonis fruantur:reliquum eſt,vt nunc breuiter oſtendamus,quibus artibus & à quibus hominibus ea commodiſsimè poterunt defendi. Non enim ſatis eſt,quòd in ciuitate cuncta præclarè conſtituta ſint,niſi ea ſciamus ab externis iniurijs egregiè tueri:id verò non difficile fuerit,ſi tales principes ſint & reliqui ciues,quales nos in beata Rep.deſiderabamus, qui virtutibus omnibus & eximia fortitudine præditi ſint,& omnes vnanimiter minimè dubitent quæuis pericula pro ſalute communi ſubire. Sanè cùm iuſtitia,neceſsitas,prouidentiaq; diuina ſæpe quodammodo nos ad prælium impellat, vehementer ad Reip.ſalutem pertinet, vt

gubernatores non tantùm ea quæ conducunt ad pacem bene componant,ſed etiam quæ ſpectant tempora belli:quoniam ſi in ijs bonitatis ſpecie ducti ſint negligentiores,potiùs hoſtium libidini ciuitates obijcere,quàm tranquillitatem ſequi videbuntur.Si pace nobis perpetua frui liceret,nemo tam demēs eſſet,qui bellum vllum putaret vnquam eſſe ſuſcipiendum : nunc autem cùm ea vel nulla vel non diuturna ſine militia potiri poſsimus,ideo rectè,cū bellum ipſum malum ſit,illud Philoſophi boni cauſſam interdum eſſe dicunt, qua non nunquam etiam optimi viri debeant vti.nō tantum autem ad defenſionem ciuium ſociorumq; cauſſa bonus dux & miles bellū gerit,verùm etiam,vt optimè conſtitutum imperium quàm latiſſime propagetur nōnunquam illud à bonis principibus ſuſcipi poteſt.non quo ſibi per fas & nefas alios ſubditos reddant, ſed quòd eos qui rectum virtutis iter nō ingrediuntur, magiſq; barbari ſunt,q̃ vt libertate frui debeant, melius à ſe gubernari & ad feliciorem vitā cupiant perduci:ita boni Duces non tantùm ſuam ſuorūq;,ſed etiam hoſtium vtilitatem ſibi proponunt, & hinc ſubiugandorum populorum ius ſuam originem habuit,hinc etiam eſſe putāt,quòd Deus paſſus ſit tam latè Romanum Imperium extendi,

Thu.l.5. in con. athe.
Ariſto.7 c.1.Pol.
Bellum viris bonis gerere licet.
Ariſto. l.3.c.14. ad nico.

tendi. Propter pacem autem & bellum, in duas præcipuas partes ciuitas omnis eſt diuiſa, in milites iuuenes, & in cōſultores ſenes. Per ſapientiam quidem cum reliquis virtutibus, quæ quidem magis in ſenilem ætatem cadunt, in pace belloq; ciuitas optimè gubernatur: verùm ad bellum gerendum, iuuentutis etiam robore fuit opus. attamen quanquam hoc neceſſarium ſit, in ſenum ſapientia Reip. felicitas potiſſimùm eſt collocata: quoniam, vt inquit rectè M. Tullius, nullius fermè momenti ſunt arma foris, niſi conſilium ſit domi: quod quidem ſapienter initum, vt eſt apud Euripidem, multas ſæpe manus vicit. Quid enim prodeſt aliena quærere, ſi interim res noſtras amittamus. amittemus autem noſtra, ſi potiùs inconſulto iuuentutis impetu, quàm maturo ſenum conſilio gubernentur: nam etiam ſi ab exteris non tententur, proprijs motibus facile ruent. Cùm autem robur ſine prudentia etiam in bellis raro ſit vtile, ſępius quoq; perincioſum ideo non tantùm fortes, ſed etiam ſagaces milites eſſe decet: tales autem ſoli veterani fuerint, & ætate iā mediocriter prouecti. At inter reliquos omnes, duces ipſos non tantùm fortes, felices, magna auctoritate, ſed quod pręcipuum eſt, longè prudentiſsimos eſſe decet. Nam præclarè ſcriptum eſt apud Plutarchum,

[Ariſto. l. 7. c. 14. Polit.]

[Ciuitatū duæ pręcipuę partes.]

[Lib. i. offici.]

[Milites ſint ſagaces]

[Xenop. l. 1. pæ. cy.]

[Duces quales eſſe deceat.]

[Cicero pro. leg. man.]

chum, in eo qui geſtaturus eſt Imperatorē robur, in Imperatore ipſo ſapientiam deſiderari. Ita tam in pace quàm in bello ſeniorum prudentia principatum tenet: ſed rurſus tamen animi iuuenum, magnos Principes & magnas Reſp. facere ſolent, ſi nimirū prudentia ſeniorum gubernentur. Conſiderandum autem a moderatoribus ciuitatum eſt, qui ſint nobis hoſtes, aut eſſe poſſint, & quibus potiſſimùm auxilijs ſint freti. Rectè nanque Gabrias ſummus Imperator dicere ſolebat, eos optimos eſſe Duces, qui res hoſtium notiſſimas haberent. Curandū autem vt noſtra ſaltem paria ſint, vel ſi fieri poteſt, ſuperiora: illud ne vincamur, hoc autem vt etiam inimicos noſtros vincamus. Quapropter noſtræ copiæ diligenter cum hoſtibus conferendæ, milites, inſtrumenta, reliquaq; pręſidia belli. In militibus numerus quidem eſt perpendēdus, præcipuè tamē virtus. Si cetera cuncta paria ſint, præſtantior eſt exercitus copioſus: ſed tamen videmus Darium ab Alexādro, á Mario Cimbros, & maiorem exercitum á minore tam noſtris temporibus quā antiquis frequenter eſſe deuictum. Illud autem in exercitu magno grauiſsimum incommodum, quod ad eum alendum multo commeatu, plurimis pecunijs eſt opus, quas etiam diues Reſp. diu ſuppeditare, nequit.

Hoſtiū vires cū noſtris conferēdæ.

quit.Iam cùm æquè non omnes ad quęuis negotia ſint accommodati, ſed natura, vt has res vel illas, ſic hos aut illos homines, hoc illòue tempore locoq; producat, quos etiam vitæ conſuetudo meliores reddat vel deteriores, proſpiciendum eſt, quàm multos quamq; bonos habeamus milites: vt ſi ſint hoſtes numero ſuperiores, nos eũ virtute noſtrorum militũ, ſin illi virtute, nos eam multitudine, ſi nobis vtraq; ſuperiores ſint, nos etiam vtranq; vel reliquis noſtris vel externis præſidijs compenſemus. Id autem cuiuſque Reipub. vehementer intereſt, vt eos habeat ſibi confœderatos populos, cum quibus, hoſtibus quibuſque facile par eſſe queat. Nec tantùm vidẽdum eſt, quàm multos habeamus quamq; bonos milites, ſed ſedulò curandum, vt inſtitutis eos continuò reddamus meliores, vt eos ad fortitudinem ac ad omnem virtutem exerceamus. Quis enim ignorat, quin victoria diuina quædam res ſit, quam conſequi nunq̃ debeãt ij, quibus ob ſcelera Deus ſit infenſus. Videmus igitur optimos quoſq; ea ſemper eſſe facilimè potitos. Legimus in hiſtorijs frequentiſsimè multos fortes viros à paucis, nec adeò bellicoſis, eſſe ſuperatos. Quid ita? quia ſic Deo viſum eſt, qui vt omnis fortitudinis vnicus auctor eſt, ſic alios animoſos, timidos alios reddit, interdum

Milites probi ſint.

dum gladios fortibus hominibus excutit, interdum timidorum manus ad ictum cōfirmat. Veriſsimū igitur eſt illud apud Xenophōtē, victoriā, nec multitudine nec fortitudine parari, ſed qui freti Dijs immortalibus animoſiùs hoſtes inuaſerint, eos in prœlijs eſſe ſuperiores. Inter ceteras verò belli virtutes cōtinētia præcipuū aliquē locū tenet: nam vt inquit Cicero, fortes ſunt, non qui faciunt, ſed qui iniuriam propulſant. Multi relictis alijs ſuis officijs ad temporarium bellum accinguntur, tantùm ſtudio latrocinandi: qui quidem ſæpe non modò parum vtiles ſunt, nimirum inexercitati, ſed etiam afferunt nō exiguum Reip. detrimentum. Nam præter alia mala, inter ſuos diſsidia & ſeditiones frequentiſsimè ſerūt, & obſeſſos, iniuriarum metu, ſæpius ad vltimam defenſionis pertinaciam compellūt. Quapropter rectè magnus ille Dux Africanus dicere ſolebat, Romanos non tātùm fortitudine, ſed plus in bellis continentia valere: rectè quoque Xenophon, qui magis à militibus ducem, quàm hoſtes timeri debere dicit. Videmus itaque & à militibus optimis ſemper emptos minimo ſanguine triumphos, & ijs in bellis, in quibus milites admodum corrupti ſunt, ſæpe maximis difficultatibus laborari. Ad rapinas enim multi proficiſcuntur, non ad fortitudinis exercitatio-

L.3.pæ. Cy.

Milites cōtinētes ſint.

L.1. offi.

L.1.pæ. Cy.

citatio-

citationem,& ideo potiùs ad calamitatem quàm ad victoriam. quod non eueniret, ſi continentia maximè valerét,virtute vt vtiliſsima,ita difficilima in bellis. Oportet autem,vt ſe prius, q̃ alios, vincere ſciat, is qui veræ fortitudinis gloriam eſt adſecuturus.Neceſſaria quoq; eſt inſignis patientia perferendi laboris,& fortitudini vehementer eſt affinis:niſi quòd illa nõ vincitur,fortitudo verò ſemper etiam vincere conatur. Sed iuſtitiæ ſemper poſtrema victoria eſt, quemadmodum.Heſiodus rectè ſcribit, & ſine prudentia nec milites,nec alij vlli rectè ſunt in officio ſuo verſaturi. At quòd pietate quoque debeant eſſe præditi, vel hinc intelligere licet, quòd nullum verè iuſtum bellum dici poteſt,quod non ad vnam Dei gloriam ſuſcipiatur. Huc omnis bellorum apparatus comparandus eſt,huc omnis res militaris inſtituenda. Mirum eſt quantum animus poſsit bene formatus, hoc eſt verè Chriſtianus:per media vulnera, per acerbiſsimas mortes ſemper ad veram gloriam rectà contendit,ac infracto robore mentis perfert ac perrumpit quaſcunque difficultates. Neſcit vllo modo timere generoſa virtus,nequit impediri, quo minus arduo quodam animorum motu ad faſtigia rerũ maximarum pergat. Nulla enim bonis viris rei bene gerendæ ſatietas eſſe poteſt.

Milites ſint patientes iuſti, prudentes, pij.

In ope. & dieb.

Herodo l. 7.

Habe-

Habeant igitur milites animum ad omnem virtutem,& etiam ad belli diſciplinam, exercitatum:nemo enim quicquam rectè fecerit vnquàm,in quo non ſit antea diligenter verſatus:& etiam vſu pericula multò minus perturbare ſolēt. Quòd autē in Ducibus præcipuè multarum rerum cognitio deſideretur,nobis pulcerimè ſapientiſsimus Poëtarum ſignificare videtur, dum Achyllis nobiliſsimum illum clypeum depingit.Quamobrem Plato meritò vult milites,maximè tamen duces,etiam in Mathematicis eſſe diligenter inſtructos: quòd ijs artibus inſtrumenta bellica conficiantur, acies rectè inſtruantur,vrbes expugnentur & defendantur,hoſtes dicipiantur,& in fugam conuertantur,denique quòd ijs ferme ſolis omnis victoria nonnunquam comparari poſſit:nam etiam animorum noſtrorū quædam indicia non contemnenda continere putantur,qui cum naturæ motu concitari ſolent.Milites quādoque calcaribus indigent,& quandoque potiùs freno:nonnūquam hoſtes perferendi ſunt,donec deferueſcat & conſumatur bilis, quandoque ſunt aggrediēdi priuſquam accendatur.Ingeniorum autem & temporum indicia quędam mentibus eruditorum hominum prudens natura inſeuit.Quemadmodum enim elementorum motus & tempeſtates, quibus

Xenop. l.i.de pę. Cy.

Milites ſint exercitati.

Duces multarū rerum ſint periti.

Mathematicæ neceſſariæ ad bellum.

bus locis & temporibus ingruent, & in quã potiſsimùm partem vergẽt, ita motus animorum & violentos bellorum exitus, ſapientibus ſæpe præſagire licet, & quemadmodum nautæ ventorum & maris, ita duces animorum motus contemnere nõ debẽt: qui quidẽ nec minùs multiplices ſunt, nec etiam minùs violenti. Cùm autem nos ſæpe tam variè tamq; vehementer, etiam eadem cùm die tum hora, ſine manifeſtis cauſſis externis ſentiamus affectos, id quoque neceſſarium eſt populis & exercitibus euenire, vt vel hi vel illi, & hoc quàm illo tẽpore potiùs ab ipſa natura bellico quodã furore concitentur, aut ignauia torporeq; teneantur: idq; eſſe puto quod duces volũtarijs quàm coactis militibus vti malint: videntur enim illi belli & fortitudinis quodam ardore rapi. Sed perpendendum eſt, an audacia quàm libidine potiùs impellantur. non enim dulce tantùm bellum inexpertis, vt eſt apud Pindarum, ſed etiam illis, qui ſine prælio periculoq; militiã quandoq; ſunt experti. Ii cùm tutè tam ſuorum, quàm hoſtium, agros depopulati ſunt, & omni luxu plenam, omnibus legum vinculis ſolutam vitam egerunt, ad eam liberam belli inſolentiam libentiſsimè redire ſolẽt. Sed ſi res laborem & periculum ſubire cogat, primi ſint, qui fugam & ſuorum prodi-

Milites voluntarij.

tionem meditentur. Voluntarios igitur milites diligẽter diſcernere decet: nam ſi nullis laboribus & periculis propoſitis deterriti patriæ & virtutis amore, vel etiam iuſto hoſtium odio cõcitantur, digniſsimi ſunt, qui Reip. bene formatæ ſtipendia cõſequãtur: ſi temeritate quadam & inſolentia rapiantur, non ſunt tales, quales debeant à bonis ducibus vehementer optari. Dicent homines ſceleratos potiùs periculis exponi, & hoc pacto Remp. ab ijs liberari debere. Verùm, in eo ſæpe maius periculum eſt, & maiores expenſę, ſi cùm publicè alãtur, per ignauiam & ſcelus facile Remp. hoſtibus prodant, quæ fuiſſet à bonis militibus omnino defenſa. Profectò ſatius eſt tales homines ad alias operas neceſſarias compelli, aut ad aliorum cõſeruationem certis periculis obijci: ne ſi non pereant, redeant multò deteriores. Nam etiam bonorum adoleſcentum animos belli licentia corrũpi videmus, à quibus etiã contaminentur tempora pacis. Ergo milites fortes ſint, & ſi fieri poteſt, reliquis quoque virtutibus ſint inſtructi, & inſuper habeant corpus ad ſuſtinendam inediam, laborem, æſtum, hyemem, & reliquas omnes iniurias paratum. Multi quidem ad militiam nati videntur: quibus ſi exercitatio accedat, id profectò maximum quippiam fuerit ad res maximas

Militum corpora.

facile

facile conficiendas. Oportet enim, vt ad res præclarè gerendas conſuetudo cum natura coniungatur; & altera ſemper alterã iuuet. Certè videmus in his potiùs locis quàm in alijs, & hic iſtis, alibi verò alijs temporibus præſtantiores homines ad hæc aut illa negotia prouenire. Nam tametſi plurimũ vſus in omnem partem valeat, à natura ferme proficiſcitur & promouetur. Ita quædam gentes aſtu, quædã audacia plurimùm naturæ quodam inſtinctu valent, aliæ verò planè deiectos animos habent. Tam Græci quàm Romani ſe vehementer iactare ſoliti ſunt, quòd inter Scythas & Africanos poſiti, virtutes amborum, ſine vitijs tenerent; ab illis audaciam ſine ſimplicitate, ab his calliditatẽ ſine puſillanimitate. Alteri enim ſanguinem profundere verentur, cùm eum perquàm habeãt exiguum, alteri, cùm abũdent ſanguine, vulnera quæuis facile contemnunt. Verùm hæc omnia conſuetudo non mediocriter vel iuuare poteſt, vel immutare: quod quidem ex ijs gentibus facilè cognoſcere licet, quæ ingentem illã imperij gloriam nunc penitus vel amiſerunt vel occuparunt. Ergo plurimum hic natura, plurimum quoque conſuetudo valet. Vbi verò vna coniungiter egregiè cum altera, tum prouenit illud, quod nos maximè deſideramus: quanquam admodum ra-

terim oportuna cũctatio gerendi belli nõ- nũquam profuit, vt in Fabio qui Maximi nomẽ eſt cõſecutus:& tamen legimus Alex andrum magnum non cunctando totùm orbẽ viciſſe. Is enim qui bellum rectè ge= ſturus eſt, occaſiones non ſequi, ſed præce- dere debet. In externæ regionis expugna- tione celeritas, in propriæ defenſione cun- ctatio valet: nam foris commeatus & reli= qua præſidia belli ſæpius deficiunt quàm domi. Sed oportet Remp. etiam tempore pacis eſſe ſemper ad bellum egregiæ para= tam:& ideo præclarè fecerint illi, qui alio- qui nihil agunt,& etiam reliqui ijs tempo- ribus, quibus in otio futuri ſunt, ſi rebus ſeſe bellicis exerceant: quod ſi fiat, externis militibus Reſpub. minùs habebit opus. Si tamen diues, fertilis nec ſatis habitata regio fuerit,& hoſtes nos viribus ſuperent, ſatius eſt etiam externis vti: ſi verò nec diues nec fertilis, & tamen populoſa, potiùs vtatur Reſp. militibus ſuis: externos enim alere non poteſt,& ſuos ad bellum diligenter in- ſtituere debet. Deinde multò fideliùs & animoſiùs pro ſuis parentibus, vxoribus & liberis, quàm pro alienis omnes bellũ ge- runt:& hinc eſt quòd ab alienigenis rarò, ab indigenis frequenter res magnas eſſe cõ fectas videamus. Si nec bene eſt habitata & ſterilis, hoſteſq; potentes habet Reſp. pro-

Cunctatio in bello.

Plu. l. an ſit admi. Reſpub.

fectò planè deſperata eius ſalus eſt,niſi forſ-taſsis tam multos ſocios & externos defenſores habeat,aut natura vel arte tam bene munita ſit,vt hiſce præſidijs hoſtibus ſuis reſiſtat.Imprimis quidem procurare debemus vt aduerſarios noſtros, quibus in poteſtatem non redactis felices eſſe non poſſumus,ſuperemus:id ſi præſtare non poſſumus, vt ſaltem aduerſus eos ſalutem & dignitatem noſtram tueamur. Quòd ſi vicini noſtri nobis eſſent amici morumq; bonorum ſimilitudine cum Repub.noſtra coniuncti,nunquam aliquo bello nobis eſſet opus:ſed ſæpe tales ſunt,qui tranquillitatē noſtram libenter perturbent. Itaque præſtantior & melior Reſp.qualem noſtrā eſſe cupimus,æquitate & vtilitate communi ſuadente,tamdiu prælium acerrimum gerat,quoad hoſtium vires adeò fregerit, vt non ampliùs periculum vehemēs pertimeſcat:ita tamen vt conſideret diligēter,quid commode fieri ſine maiori malo poſsit, & nō tantùm ſuā,ſed interim etiā vtilitatē victæ Reip.quæ victricis tāquam pars eſt futura,ſemper ſpectet, queadmodum paulò ante dicebamus : quoniā in omnibus actionibus noſtris optimus aliquis eſt proponendus finis,& omnis omnium fęlicitas q̃ latiſsimè promouēda:quāq̃ potiùs eligere ſuā ſuorūq; felicitatē quiſque poteſt:quoniam

niã frequẽter ignoram⁹, vtilitas priuata q̇d
momẽti teneat in vtilitate cõmuni: quam
tametſi viri boni ſemper ſibi proponãt, in
ea tamen & ſuã quoque ſitã eſſe velint. Hic
autem & alibi ſemper mente tenere debe-
mus, vtilitatem veram à iuſtitia communi
nunquam ſeparari. Hæc poſtulat vt animus
corpori reliquisq; bonis omnibus externis
anteponatur. Nihil igitur vnquam cõmitte
mus, quo virtutem vel noſtræ vel alienæ
Reip. minuamus, ſed bonos vicinos nobis
quàm amiciſsimos, malos autem q̃ ſimili-
mos, hoc eſt, quàm optimos reddemus:
quod quidem interdum fieri nequit, niſi
ſuperiores illis ſimus. Ergo virtutis cauſſa
bellum ſuſcipi poteſt: virtutis inq̃ cùm no-
ſtræ tum Reip. vicinæ, non tamen virtutis
cuiuſuis, ſed tantùm alicuius inſignis. Quemadmodum enim in ciuitate quiſq; ſe rebus alienis facile miſcere non debet, niſi
propter magnum aliquod Reip. bonum, ita
nec vna Reſp. ſe negotijs alterius, in quam
ius non habet, inſerat, niſi quatenus euidẽ-
ter vniuerſa vel Chriſtiana vel humana Reſ-
pub. iuuetur, vt in ijs rebus, in quibus agi-
tur de religione, vel iure gẽtium & naturę.
Solùs autem commoditatis externæ præ-
textu nõ poſſumus alios ijs bonis ſpoliare,
quæ iure gentium ſunt adſecuti, niſi cõtra
nos omnium animos prouocare, & iuſtiti-

Bellum virtutis cauſsa ſuſcipiatur.

inſtructam,vt non tantùm intus omnia ſalutaria ſint,ſed etiā externas malorū cauſſas propellat,& iniuſtā vim iuſta vi auertat.

De Ordine Eccleſiaſtico. CAP. VIII.

QVONIAM autē in felici Rep. non hanc temporariam vitam tantùm,ſed potiùs æternitatem ipſam ſpectari decet, neceſſariū eſt,vt in ciuitate quoque ſancti quidam viri ſint, qui inter ceteros præcipuè rerum diuinarum curam gerant,ac ad earum cognitionem & amorem ciuium animos excitent. Ij cùm mentes illas æthereas proximiùs imitari debeant, oportet vt puriſsimis animis ſacris illis maximis officijs fungantur, nec interim prophanis vllis negotijs occupentur. Diuina ſiquidem tam ardua ſunt,vt totos animos ſibi poſtulent, nec libenter humanorum commercium vllum admittant. Itaque videmus à ſapientiſsimis & optimis viris antiquitus leges eſſe datas & in poſteritatis pium conſenſum prorogatas,quarum obſeruatione corporis & externarum rerum impedimentis nos liberaremus,præcipuè cùm res arduas & diuinas obituri eſſemus. Ii verò qui ſacris officijs publicè deſtinati ſunt,id omnes proprium habere debent,vt in ijs, quæ pertinent

ad veram pietatem,longè reliquis homini‑bus antecellant. Nam cùm in animos hominum pietatem & omnem virtutem ipſi prçcipuè debeant inſtillare, cumq; ſimilitudinem ſuam quandam omnia libèter producant, & cauſa ſemper eſſe debeat præſtantior effecto, quanquam interdum in hominibus excellens doctrina ſit, cui facta non reſpondent,quo facilius voti ſui compos fiat,cũ reliquis virtutibus ſemper poſtulat coniungi. Ergo religionis miniſtri non tantùm eruditione,ſed etiam alijs virtutibus eximiè ſint inſtructi, & ſuppeditẽtur ijs etiam omnes occaſiones,quibus in officio ſuo meliùs verſentur: occaſiones quoque vitiorum illis prorſus adimantur, quas in his rebus humanis & eſſe plures & faciliùs admitti videmus. Cùm itaque res diuinæ tranquillos animos deſiderẽt, rectè conſtitutum eſt, vt ij qui in illis præcipuè verſarentur, & homines reliquos ab iſtis perturbationibus ad ſerenam virtutis vitã reuocarent,cùm haberent ea quæ neceſsitatibus eorum ſatisfacerent, quò pietati magis integrè ſeruirent,rebus humanis minùs eſſent occupati,quæ quidem nos à diuinis auocare ſolent. Quod cùm non ignorarent quidam alijs ſapientiores, quo poſſent inconniuentiùs inſpectioni rerum cçleſtium vacare,ab hominum tumultibus &

Monaſtica vita.

conſuetudine ſeſe exemerunt, & tum natura tum exercitatione, præcipueq́; numinis auxilio longè robuſtiſsimi contra vitia facti, tandem ſummo conſilio libertatem cum tali ſeruitute commutarunt, quæ vel non eſſet verè ſeruitus, cùm voluntas imperet potius q̃ ſubijciatur, vel, ijs ſaltem qui parere poſſent, libertate multò præſtantior eſſet. Certè neceſſarium eſt, in tantis periculis, vt admodum cauti ſimus, & occaſiones omnes malorum diligẽter fugiamus, & vt ijs quiſque tantò minùs impediatur, quantò ſanctius officium habet. Quoniam autem in negotijs ſacris, etiam multò magis quàm in alijs, eſt exactus ordo ſeruandus: oportet vt hìc alij quoque ſint alijs inferiores & ſuperiores, & vt hi non tantùm illos dignitate, ſed etiã pietate antecedant. Nam ea quæ ſunt paria, cum eiuſdem conditionis ſint, nunquam mutuum officium egregiè præſtare poſſunt: vt ſi in corpore noſtro quælibet pars vel pes, vel manus, vel vnum aliquod aliud membrum ſit, equidẽ officio ſuo ſingula ſibi tãtùm & ſine mutuo commercio fungentur, atque erunt multa generis eiuſdem, quæ tamen non conſpirent in vnum. nam quæcunque bene coaleſcunt, neceſſum eſt, vt mutua ſocietate teneantur, & officiorum viciſsitudine, quæ in accipiendo, dandoque ſit occupata. Sed Ordo in Eccleſia.

poſſumus, tamen ijs ipſis præmia victoriæ nobis commeremur: adeò magnum eſt illi ſeruire, qui ſubſidijs nullis indiget, & pleniſſimus eſt omnium bonorum: quoniam omne miniſterium in ſeruorum libertatem & felicitatem redũdat. Quilibet igitur noſtrum ſedulò rerum & perſonarum decentem ordinem ſeruet: nam ſine eo nec Reſp. gubernari, nec natura conſtare, nec vlla ratio in hominum mentibus eſſe poteſt: vnde facile cognoſcere licet, quales illi ſint, qui eum ordinem de medio tollunt. Quæ verò quodam ordine conſtant, neceſſariũ eſt vt habeant aliquid primum & ſecundũ, & aliquid tertium & vltimum. Sed cùm hæc omnia duobus perfici videamus, ſpiritu & corporatura, ſpiritus proculdubio principatum tenet: quemadmodum ex hiſtorijs ſacris eſt manifeſtum, in quibus legimus à viris diuinis principes ſuã auctoritatem obtinuiſſe. Perturbatiſſima namq; foret hac in parte noſtra Reſp. quàm ſummum quendam ornatum continere decet, ſi quiſque ſuo arbitrio ſentiret & viueret, nec vllius poteſtati obtẽperaret. Credibile verò non eſt in omnibus alijs ordinẽ deſiderari, in rebus autem ſacris ſummã quãdam perturbationem, nec fieri poteſt vt ordo quiſpiam ſit, quin alij ſint alijs ſuperiores & inferiores; nec etiam eſſe ſuperiores poſſunt,

poſſunt, niſi præ ceteris aliquam obtineat poteſtatem. Non ſine cauſsa profectò nobis principes dati ſunt, quorũ animus, quãtum ad Remp attinet, Dei conſilio regatur; quamuis interim ipſi ſuis vitijs laborent: Cùm enim voluntatis noſtræ latebræ, quibus virtutes & vitia continentur, tam ignotæ ſint, neceſſe eſſet in ſummis tenebris rerum noſtrarum verſari nos, qui tamẽ lucem veritatis cernere videmur, ſi ab hominum virtutibus, & non à poteſtate miſericordiaq; Chriſti negotia ſacra penderent; Multa ſunt erga homines Dei beneficia; pietas, ſapientia, poteſtas, aliaq; innumera; quæ non omnibus ſemper hominibus omnia conceduntur: quòd niſi hæc quæ iam diximus eſſent vera, nec Dauid tantopere fuiſſet Saulem veneratus, nec Paulus tam diligenter monuiſſet, vt etiam malis dominis obtemperaremus. Ita bonorum cõſenſu & voluntate Dei facti ſunt gradus dignitatum in religione, in quibus, vt diximus, id diligenter ſeruandum eſt, vt quantò quis ſuperiorem tenet, tantò quoque ſuperior ſit virtutibus reliquis & præcipuè pietate, & pariter tamen omnes ſuis viribus ad illud ſupremum contendant. In omnibus autem officijs totius Reip. diligentiſsimè prouidendum, ne plures, vel etiam pauciores, quàm oporteat, in eodem verſentur: vt nec

Officiorum publicorũ ratio.

nimis

nimis graue;nec etiam nimis leue pondus ciuium humeris imponatur,ſed ſinguli,nō quidem paribus, & totis tamen ſuis viribus onus Reip.ſuſtentent. alioqui quorū-dam ignauia,reliquos nimium grauabit;& nimia moles grauatos cum magno Reip. dāno proſternet:ſi videlicet multi in otio, vel minore quàm oporteat negotio viuere,& alij impares ſuis viribus ſarcinas ſuſtinere velint. Totius autem ordinis,qui ſeruandus eſt in Rep.non tantùm in vniuerſa natura rerum, verumetiam in nobis ipſis egregiam ſimilitudinem cernere licet:nā, vt inquiunt Philoſophi, humana præclarè formata Reſpub.diuinam illam abſolutam proximiùs imitatur,cuius tam magnus iſte mundus, quàm paruus (homo nimirum) proxima quædam ſit imago. Cùm autē ſecundum Platonem triplex animæ noſtræ portio ſit,quarum præcipua in capite collocetur, vnde tanquam è ſpecula quadam omnes cùm internas tum externas iniurias proſpiciat,hęc vis planè diuina cęloq; proxima,circa res æternas verſatur, ad earum ſimilitudinem humana moderatur, & ita ſui perfectionem per Dei miſericordiā demeretur,quam etiam poſt experimēta miſeriarum tandem euidentiùs ſentiet. Hæc vis inſtar ſpeculi puriſsimi obuerſa clariſsimæ veritati,& etiam amoris ſancti feruore

Reipub. cum anima noſtra comparatio.

Leg. de Repub.

cum

partibus defœdatum. Itaque voluntati,vel ſummę potiùs animę noſtræ poteſtati,horũ omniũ per miſericordiã Dei ſummũ imperium eſt conceſſum; quę ſi officio ſuo fungatur,eò proculdubio comparet magna pręſidia conſequendæ felicitatis. Similis ratio in bene inſtituta Repub.eſt:in qua ſacerdotes ſemper in diuina luce verſantur, & reliquis hominibus præcipuas agendorum rationes demonſtrant: à quibus diligenter prouidendum eſt,ne ſplendor æternæ ſapientię tenebris humanorum phantaſmatum & affectuum obſcuretur. Princeps autem, tanquam voluntas, ſummum rerum omnium arbitriũ tenet,in quo maxima rerum momenta ſunt collocata:qualis enim princeps eſt,tales fieri ſolent reliqui ciues.Oportet igitur, vt ſemper prudẽtum conſilium,veluti mentem, ſequatur, & ſecundum rectam rationem alios rerum diſtributores,alios ſcelerum vindices, alios rerum bellicarum gubernatores faciat, qui nimirum externas iniurias ſpeculẽtur ac repellant,alios qui Reſp.alant; qui partim etiam inutilia excludant, partim vtilia conuehant,ac neceſſaria conſeruent:quos nec nimis efferri,nec infra modum conſiſtere patiatur,ſed rectam ſemper officij ſui rationem obſeruare cogat: ſic vt omnes egregiè,tanquam eiuſdem corporis,cõſpi-

rent atque conſentiant in vnã totius Reip. ſalutem. Principes igitur, & qui primum aliquem locum obtinent, potentiam cum eximia quadam prudentia debent habere coniunctam, vt & ſingulis quid facere oporteat præſcribere ſciãt, & infractè quæ pręſcripſerint imperent obſeruari. Tales viri quales iam diximus eſſe debere principes, vt alijs rebus omnibus bene gerẽdis, ita legibus etiam intelligendis & conſtituendis ſunt accommodatiores.

De *Legibus*. CAP. IX.

QVONIAM autem genera bonorum ac ciuiũ differentiã oſtẽdimus, & in vniuerſum quaſdam vitę leges propoſuimus, nunc breuiter quales deceat eſſe leges omnes dicemus, & vbi poſtea quaſdam mutandarũ Rerumpub. cauſſas, attulerimus totã hanc orationem noſtram finiemus. Definimus autem leges, publica vitæ pręcepta, quibus nos omnes obtemperare ſemper oportet: ſiquidem commune bonum & æquitatem ipſam perpetuò ſpectant, ac ab eo qui iubendi & iuſſa exequẽdi poteſtatem habet, proponuntur. Quemadmodum autẽ reliquę omnes artes ex ſuis, ſic ex eiuſmodi

præ-

præceptis magna quædam ars colligitur, quam earum rerum periti ius appellant. Poſſumus itaque definire ius, præceptionũ collectionem, quæ vt euidentem vtilitatem Reip. continet, ita vel omnium, vel plurimorum, vel præcipuorum, eorum ſcilicet qui poteſtatem hanc habent, voluntates & expreſſas ſententias in efficacem promouendæ felicitatis communis auctoritatem coniungit. Quo verò firmiora ſint hæc omnia Reip. negotia, non ſimplicibus, ſed varijs legum nexibus ſunt conſtricta, inter quos ille potentiſsimus eſt, quo vnumquodque compellitur ad operationem cõſentaneam primæ ſuæ naturę: quæ quidem ſola, ſi incorrupta manſiſſet, nos felices reddere potuiſſet: ſed cùm iam à nobis nõ mediocriter labefactata ſit, ideo fuit alijs inſuper legibus opus. Quandoquidem autẽ multæ cùm intelligendi tum agendi rationes tam euidétes ſunt, vt eas nemo, qui mẽtem habet, ignorare poſsit, quas Philoſophi cùm axiomata, tum theſes, appellãt, inter eas, quæ communem temporum & regionum omnium felicitatem continent, plurimorum aut omnium cõſenſu, qui recta ratione vtuntur, ius gentium effecerũt: quod quidem, vt inquit iuriſconſultus, ſolis hominibus, illud verò naturale reliquis etiam omnibus eſt commune. Sed pluri-

Iuris deſinitio.

Ius gentium. plurima minora obſcurioraq; ſunt, quàm vt ab omnibus cerni vel definiri poſſint,& cùm certę debeant eſſe publicę conſtitutiones,negotia quædam in vtramq; partem rationes probabiles habent:hæc temporũ, regionum & ingeniorum varijs conditionibus implicantur,& tantùm ab ijs qui acutiſsimè vident,nempe ſapientibus, diſcernuntur. Hinc autem magna morum & legum varietas eſt in diuerſas Reſp. introducta:hinc in ſingulas multorum hominum congregationes multa frequenter incidũt, quæ vt cum alijs communia non ſunt, ita proprijs legibus habeant opus, ex quibus compoſitum eſt ius,quod nos ciuile vocamus.Hæ verò leges ciuium omnium cõſenſu,& eorum auctoritate,qui ad id ipſum à ciuibus poteſtatem habent, promulgãtur, & quandam vim continent,qua fiat,quod conſentaneum eſt rationi,quam vim gẽtes per varios & remotos terrarũ tractus diſperſæ exercere non potuerunt:quanquam interim omnes Reſp.ad iuris gẽtium defenſionem conſpirent,& ſibi,quæ vicinæ,mutuum auxilium ad eius obſeruationẽ, ſint allaturæ.At quoniam homo præcipua ſui parte diuinus eſt, & etiã hîc in ipſa tanquã æternitate verſatur, ſuperiores illas beatæ Reip.leges maximè ſequi debet,quæ quidẽ præcipuum & vnicum bonarum rerum finem,

finem, adeoq; veram felicitatem cõplectũtur. Nam quòd à ſummo bono cuncta ſuam originem habuerint, & ad illud ipſum iterum ſuis gradibus reuocentur, etiam ex Philoſophis & ratione rerum poteſt, & ex ijs quæ diximus eſſe ſatis manifeſtũ. Quòd autem eius cognitio, quantum nobis opus fuit, ſacris literis ſit deſcripta, nemini noſtrûm dubium eſſe poteſt. Atqui ſi tum demum rectè quid facimus, dum quid faciendum ſit exactè cognoſcimus, & præcipuam eius cauſsam animis noſtris tenemus, cùm illud ſummum bonum, & principium & finis, vt omnium aliorum, ita & totius Reip. ſit, & per leges illas ſingulari Dei beneficẽtia nobis datas, præcipuè demõſtretur, fuerit nobis omnibus in earum inquiſitione & interpretatione diligentiſsimè verſandum. Ita in quatuor genera leges diuiſæ ſunt, inter quas omnium præſtantiſsimæ diuinę: & harum ſingulæ rurſus duas partes habent. Alię nanque iubent, vt hominum & rerum iuſtam analogiam nunquam violemus, aliæ verò vt etiã eam alacriter promoueamus, & quieſcendo dignitatem cuiuſquam nunquam imminui patiamur. Primę iubent, vt non faciamus aliquid quod fuerat omittẽdum: ſecundæ, ne quod faciendum fuerat omittamus, ſed vt vbique decentem ordinem obſeruemus, nec vnquam officiũ no-

Leges duplices.

noſtrum deſeramus,ſi nobis conſultũ eſſe velimus. Leges enim cuique quod debetur diſtribuunt, & bonis quidem præmium, malis verò pœnam: in omnibus perſonis, rebus & negotijs eã æquabilitatis menſuram, de qua iam antea multa dixiſſe videamur, ſi quidem bene poſitæ ſint, exactiſsimè ſeruant, nunquam à rectiſsimo iuſtitiæ tramite vel latum digitum deflectunt: nam in æquitate puriſsima totam ſuam naturã habent, ſine qua nullo modo cõſiſtere poſſunt. Cùm enim recta ratio vita legum omnium ſit, & cũ leges dona deorum immortalium ſint, & inuenta virorum ſapientum, pernicioſis conſtitutionibus tam ſpecioſi tituli conuenire non poſſunt. Tametſi iuſtitia diuerſis temporibus, locis reliquisq; circunſtantijs diuerſa videatur, neceſſariũ tamen eſt, vt ipſa ſibi planè conſentiat, & vt leges inter ſe omnino concordes ſint, ſi cũ illa cumque natura & ratione conuenire velint. Quapropter illi vehementiſsimè ſe proculdubio decipiunt, qui ſuis opinionibus & moribus, cum interim de rebus illis ſummis humanum ingenium tam diuerſa ſentire cernamus, quemq; viuere poſſe cẽſent, quanquam, ſi non veris, fortaſſe probabilibus quibuſdam rationibus in eam ſẽtẽtiam adducti videntur. Nam dum cõſiderarent diuturnos mores longo multorum

Leges omnes debent eſſe concordes.

torum hominum iudicio cōprobari, quos veriſimile ſit meliùs omnes maturè, quàm ſingulos, vt minus prudētes, ita ſemper nouandarum rerum ſtudioſos, repente iudicare, cùm etiam animaduerterent ſummā hanc rerum omnium varietatem, quæ plurimùm confert ad exornationem operis totius, nec illam quidem in diuerſis ſolùm, ſed etiam in eiuſdem generis mundi partibus, in corporibus & in mentibus humanis, exiſtimarunt nos illud diſcrimen in veſtibus, in menſis & in reliquis poſſe moribus imitari. Deinde cùm rerum cognitio partim naturæ ductu, partim vſu & experimentis fiat, quæ cum locis & temporibus differre ſolent, inde cuique ſuæ communis ſectæ defenſionē poſſe probabilem atque iuſtam videri putarūt: communis inquam, nam ſingulares, vt temerariæ fermè ſunt & ſolido fundamento carēt, ita quemadmodum in natura ſemper fieri videmus, & ipſi, veluti etiam omnes qui vel mediocris ingenij ſunt, protinus communibus oportere cedere iudicarunt. Iis autem ſingulæ gentes moribus libentiſsimè viuunt, ad quos potiſsimùm impelluntur ſui cæli ſoliq́ue contemperatione; mores etiam vſu longo confirmati, non tantùm in natam procliuitatem confirmant & ſemper vlteriùs prouehunt, ſed etiam ipſi vel ſoli naturæ mo-

motum, quantumuis promptum, ſæpius impediunt, reprimunt, noſq; penitus in diuerſum agunt. Magna profectò vis conſuetudinis eſt, & magnum eſt etiam rerũ omnium diſcrimen: ſed tamen, ſi rectè cõſideremus, neceſſarium eſſe videbimus, vt quemadmodum iam dicebamus, omnia planè conueniant in vnum, & vt ad vnum felicitatis finem iiſdẽ legibus omnes ducamur. Homines omnes nunquàm membris omnibus ſimiles ſunt, verùm omnes continent ſpeciem ipſam humanam: id etiam in ceteris omnibus cernere licet, quæ tametſi partibus omnibus nõ ſint paria, tamen ſemper in vnã quandã figurã cõponũtur, cuius adũbrationẽ abſolutã, non ſingula perfectiſsimis lineamẽtis, ſed omnia ſimul, nõ quidẽ omnibus, cùm hîc nihil ſit perfectũ, ſed pulcerrimis ſuis partibus proximè reddere, facile videbitis, qui quid in quoq; ſit optimũ rectè colligere norit. Itaq; magn⁹ ille Crotoniates artifex, multas formoſiſsimas puellas adduci iuſsit, ex quibus omnibus, quod in ſingulis pulcerrimũ eſſet, imitaretur, cũ abſolutiſsimã quãdã imaginẽ eſſet facturus Idipſum etiã in opinionib⁹ & moribus noſtris obſeruãdũ eſt, vt ſi verè homines & finis ad quem facti ſumus participes, hoc eſt felices eſſe velimus, quàm proximè ſemper referamus abſolutiſsimam quandã formã

huma-

humanam: quam quidem non ſumemus ex ſingulis iſtis mõſtroſis hominibus, qui ſunt fœdis aſinorum, leonum, alijsq; brutorum partibus deformati: nam quandoquidem nobis hominis perfecti ſpecies propoſita eſt, & eorum etiam, qui ad eius imitationẽ proximiùs acceſſerunt, ineptiſsimum fuerit, ſi noſtros oculos & actiones ab eius exemplaris conſideratione & imitatione deflectamus: imò quatenus deflectimus, turpitudinem & infelicitatem noſtram acceríimus, cùm quicquid habemus boni, totum illi debeamus. Ergo neceſſarium eſt, vt ad eius vnius æmultationem cogitationẽ noſtram omnem & vitam componamus, modò veram effigiem humanam referre, & alicuius felicitatis participes eſſe velimus, ad eius inquam ęmulationem, qui proculdubiò rerum omnium bonarum eſt præcipuus & vnicus auctor. Fieri quidem poteſt, vt omnes æquè procul non proſpiciant, & inſtrumentis paribus ad res gerendas non vtantur: tamen omne bonum humanum ad illud ſummum ſuis gradibus redire debet, ſine quo protinus dignitatem ſuam omnẽ amittat. Cùm igitur quicunq; aliquid egregiè facere, negotiaq; ſua rectè velint inſtituere, ſpeciem quãdam perfectiſsimã operis ſibi proponere debeãt, ad quam ea quæ facturi ſunt, ſic omnia referant, vt ad illam

quā proximè ſemper accedant,& cùm humanæ vitæ tantùm vna numeris omnibus abſoluta ſit imago,cuius virtute reliquę ſuam omnem laudem mereantur, ab illa dū vel opinionibus vel moribus deflectimus, neceſſarium eſt vt à felicitate noſtra turpiter aberremus.. Quanquam autem nullis humanæ mentis vel acutiſsimis oculis, incomprehenſam Dei ſapientiam,per immēſos illos æternitatis tractus nobis liceat intueri,quantum tamen hic opus fuit,humanis quibuſdam lineamentis in libris ſacris, tanquam in tabulis deſcribitur,quas ſi nos frequenter intueamur,& eos diligēter imitemur,qui vt pręclarè mentibus eas impreſſerunt,ita moribus egregie expreſſerunt, ipſę profectò clariſsimas rationes rerum omnium bene gerendarum nobis demonſtrabunt. Ab ijs verò naturæ leges nunquā vel minimùm recedere poſſunt:per naturam intelligo, non iſtam hominum vitio corruptam, ſed quicquid integrū eſt in ea relictum:hoc autem non in ſingulis,ſed potiùs in optimis conſiderare decet. Quatenus itaq; natura noſtra retinuit aliquid indolis primæ,ad vnicum illum felicitatis finem nobis propoſitum rectà contendit. Neceſſarium autem eſt, vt ius quoq; gentium cum naturæ iure diuinoque conſentiat: quoniam eandem etiam ſpectat felicitatem.

Leges naturæ diſcedere non poſſunt a diuinis.

Ius gentium cōſentit cū naturæ diuinoque iure.

tatem. Lumen æternitatis per vniuerſam hãc temporariam naturã effunditur, quod nobis ſemper diuinam illam veritatẽ oſtẽdit, niſi quatenus materiæ peccatique tenebris offuſcatur. Tametſi verò iam vehemẽter propter ingentia plurimaque vitia noſtra ſit offuſcatum, quatenus tamen cernitur, reliquias illius diuinæ pulchritudinis demonſtrat: quòd ſi in omnibus æque perſpicuè nõ cernatur, tamẽ cõcordes & veras rerũ intelligẽdarũ & agẽdarũ ſpecies, licet alias alijs apertiores, animis bonorũ offert. Illæ ſaltem quæ ſunt inſigniter mẽtibus humanis impreſſę, ab omnibus adhuc cernũtur, circa quas naturæ gentiumq; ius pręcipuè verſatur. Ciuile quoq; ius, tametſi multis priuatis circunſtantijs eſt à iure naturæ gentiumq; diuerſum, tamen ab ijſdem cõmunibus præceptis veritatem ſuam ducit: idq; eſt quòd iuriſconſultus illud neque à iure naturali gentiumq; planè recedere, neque etiam in omnibus illi ſeruire dicit. Ergo nũquam inter ſe diſſentiunt, ſed in vnũ planè conueniũt omnes bene poſitæ leges. Eiuſmodi verò conſentaneis legibus, tanquam neruis, omnia Reipub. membra ſunt in vnum corpus arctè diuincta, ſine quibus varijs opinionum & morum diſsidijs confeſtim diſſoluatur. Verùm nõdum ſatis eſt leges eſſe iuſtas, & conſpirantes ad vnum felici-

Ius ciuile cõſentit cum iure gẽtium.

ſimorum animis eſt innata,ſi modò claris & neceſſarijs tantùm præceptis excitetur, & non potiùs intricatis & nimijs obruatur. Dum autem nimis curioſè minutiſsima quæq; ſectamur, ſæpe cum ijs amittimis alia maiora, quibus etiam fuerant illa comprehēſa. Certè iuſtitia, quam ipſa tanquam natura bonis & perſpicuis hominum mentibus inſeuit, multò generoſior & caſtior eſſe videtur, quàm ea que tam denſis tenebris inuoluta eſt, ac miris technis & laboribus è tam profundis illis cuniculis, intricatis quibuſdam formulis, tanq̃ incātamētis, in lucem euocatur. Atqui Reip. proculdubiò non mediocriter intereſt, vt iuſtitia quàm apertiſsimè ciuium omnium oculis conſpiciatur: quod fiet, ſi leges quàm maximè attingāt ſenſum cōmunē, quę præter euidentiā veritatis, vt ad omnes plurimóſue pertinebunt, ita etiam poterunt innumeris negotijs accōmodari. Singularia verò, cùm res nunquam pares ſint, tantùm vni ſeruiunt, ſi modò ratiocinationem omittamus, quæ quidem etiam ex communibus præceptis eſt petēda. Quid refert an huius quis vel prouinciæ vel temporis ſit, an illius, quātum ad perpetuam iuſtitiam, quæ communibus legibus, de quibus nunc agimus, tātùm comprehendi poteſt. nam ſingularia inconſtantia ſunt, & promemodum infinita,

Leges ſint cō-munes.

nita, nec oratione poſſunt vlla perſcribi: communia non adeo multa ſunt, & tanquã regulæ quædam omnibus adhibentur. In quibuſdam locis ciues per capita ſuccedũt, in alijs verò per ſtirpes, in quibuſdam etiã nepotes excluduntur: & tamen hi debeant vt miſeriam, ita partem huius felicitatis à parentibus habere, nec cùm omnes parentum locum obtineant, ſinguli totam eius portionem obtinere. Apud nõnullas gẽtes pariter omnes filij ſuccedũt, apud alias maiores natu pręferuntur: & hi quidem priores natura ſunt, & ad res gerendas accommodatiores: ſed tamen interim reliquis tãtò magis proſpiciendum fuit. Alicubi pro viuis tributum perſoluendum eſt, alibi verò pro mortuis: ſed expenſas oportet potiùs à bonis externis, q̃ hominibus ſupputari: vt qui plus habet in Rep. fructus, plus etiam ſentiat damni, & qui maiores obtinet honores, maiores etiam ſuſtineat labores. Quanquam autem ex conſenſu ciuiũ conſuetudines & leges ſuam auctoritatem habẽt, & is varius eſt diuerſis temporibus, ingenijs & locis, debet nihilominus ſemper ex eodem iuſticiæ fonte deduci. At interim tamẽ ij qui in ſingularum cauſſarum iudicijs verſantur, communes rationes rerum negotijs pręſentibus accommodare ſciant. Aliæ regiones vel tempora, vel hoc vel illo

vitio

vitio magis laborant: nam videmus has vel illas herbas, his vel illis temporibus locíſue potius prouenire. Quapropter interdũ luxuriantia coërcenda ſuperuacuaq; reſecanda ſunt, interdum verò languentia diligenter foueri poſtulant: ſed tamen vna pręcipua ſimilium negotiorum ars eſt, dequa nunc agimus, quæ communibus ſcriptis mandari poſsit, ac omnibus locis & temporibus adhiberi, cùm res interim & hominum ingenia continuò mutentur. In prouincijs populoſis damno excluduntur aduenæ, ſed in deſertis præmijs alliciuntur: quòd ſi illæ deſerantur, & iſtæ premi incipiant incolarum multitudine, nonne fuerit ineptum leges, quæ ſi priùs erant vtiles, nũc perniſioſæ factę ſunt, pertinaciter velle tueri? Oportet equidem vt ſemper leges circũſtantijs præſentibus accommodentur: ſed cõmunia veriora, pauciora notioraq; ſunt, & quaten⁹ fieri poteſt, eiuſmodi ſunt introducendæ leges: vt tamen interim in ſingulis cauſſis euidentiam æquitatis & rationem ipſam negotiorum quàm proximè demõſtrent. Quanquam enim omnium reddi ratio non poteſt, quemadmodũ eſt apud iuriſconſultum, nec etiam ſæpe conducat in rebus obſcuris inquirendæ veritatis occaſiones populo preberi, quanto tamen iuſtitia certior, tanto ſecurior eſt adminiſtra-

tio ciuitatis. Certam autem iuſtitiam non tantùm ratio,ſed etiam ſapientia & aucto- ritas legiſlatores reddit:nam probabile eſt à bonis & ſapientibus viris vtiles vitæ leges condi,quanquam earũ rationes omnibus non ſint notæ.Quapropter cùm Deus ne- minem vnquam fallat, & ad feliciſsimũ fi- nem omnia inſtituat,inter ceteras certiſsi- mæ proculdubio ſunt & optimę,nec admo dum etiam multæ,diuinæ leges,ad quas o- portet bonum legiſlatorem ſemper inten- tiſsimis oculis ſpectare.Nos hîc ſolidæ iu- ſtitiæ nullam expreſſam imaginẽ tenemus, quemadmodum eſt apud Ciceronem, ſed tantùm vtimur eius craſſa quadam vmbra. Denſiſsimis enim tenebris obſita ſunt hęc omnia,niſi diuinitus illuceſcant:hinc poti- ùs quàm ab humana caligine lumen eſt pe- tendum:hinc veritas rerum præcipuarum eſt haurienda,ſine qua in magnis erroribus omnes verſemur. Nam ſemina cognitio- nis,que natura nobis inſeuit,nullum puræ veritatis fructũ proferre poſſunt, niſi ſan- ctitatis & ſacrarum literarum ſucco cõti- nenter foueantur.Quapropter meritò pri- mam auctoritatem leges diuinæ tenent,ſe- cundam quas natura ratioq; cunctis inſe- uit.Hæ verò perſpicuæ ſunt, nec etiam ad- modum multæ,& oportet vt ciuiles, qua- tenus circunſtantiarum varietas & obſcu- ritas

Leges diuinæ certiſſimæ.

Li.3. offici.

ritas patitur, ad eas proximiùs accedant. Ergo leges ōnes apertę ſint & faciles oratione perſpicua deſcriptę, rationi conſentaniæ, & a magnæ auctoritatis viris profectę, nec id tātùm, ſed etiā admodū ſint firmæ.

De Priuilegis. CAP. X.

QVONIAM autem leges communia præcepta ſunt, quorū auctoritate ciues omnes rectè gubernentur, idèo videmus etiam antiquis legiſlatoribus priuilegia nūquam vehementer placuiſſe. Certè contra ius diuinum, naturæ vel gentium nūquam videmus quicquam eſſe conceſſum. Verum nō omnes leges de virtutibus aut vitijs ſunt, ſed etiam de rebus externis, nec omnes de negotijs quorum euidentem rationem & æquitatem ipſa natura nobis demonſtrat, ſed de rebus obſcuris, quæ vel hoc vel illo modo videri, cumq; temporibus mutari ſolent: nam vt certum aliquid habeant ciues quod ſequantur, oportet vt etiam illa ſint à legiſlatore definita. Atqui & hìc & alibi nō tantùm temporum & locorum, ſed etiam perſonarum magnum eſt diſcrimen. Leges quidem omnes iubent, vt vtilitatis publicę cauſſa faciant aut omittant aliquid ciues: verùm omnes ad res gerendas natura non Leges ſint firmæ.

fecit pares.Itaq; leges communes de ijs negotijs promulgantur,ad quæ ferme parem habemus omnes poteſtatem. Quanquam autem ſemper aliquod ciuiū diſcrimen ſit, & hi difficiliùs quam alij quippiam agant, leues differentiæ in rebus tam varijs & intricatis animaduerti non poſſunt : ſed euidentes ciuium differentiæ iam diuerſas cõſtitutiones requirunt:nec enim milites aut magiſtratus eadem quę reliqui ciues & eodem omnia modo facere poſſunt. Pręter leges igitur omnibus ciuibus ęquè cõmunes,de ijs ſcilicet rebus,quę ſunt in omnium,nec admodum operoſa , facultate,neceſſarium eſt alias quaſdam differẽtijs hominum accommodari:vt non tantùm qua tenus homines,& huius illiuſue cæli lociq; ciues Remp. iuuent , ſed quatenus propriam aliquam naturam & fortunam habent. Nec enim illis qui manibus aut mente carent chirurgica rationisq; negotia ſunt imperanda,nec conſtituendum , vt ij qui religionis negotia curant,in militia verſentur, nec vt fœmina in publicis rebus ſuppleat viri locum. Verùm eiuſmodi conſtitutiones non priuilegia,ſed priuatę leges appellari poſſunt : niſi quatenus in gratiam aliquorum hominum ſunt promulgatæ. Beneficium autem in aliquos priuatos à Rep. collocatum ſæpe cum vtilitate publica cõiungitur,

iungitur, vt dum eo reliquorũ ciuium ani-mi ad res bene gerendas impellũtur, & eatenus eadem conſtitutio meretur & legis & priuilegij nomen: legis quidem quatenus omnium vtilitatem ſpectat, quàm omnes ciues debent habere ratam: priuilegij, quatenus gratiam continet alicuius priuati. Quicquid verò princeps, legiſlator aut alius, qui ſimilem poteſtatẽ habet, ex officio ſuo ſtatuit, id quidem totum ad vtilitatem pub. ſemper refertur. Nam tametſi liberè ſuis rebus frui poteſt, quatenus principatũ tenet & communibus vtitur, ſemper publicus eſt illi propoſitus finis: quod in priuilegijs diligenter eſt obſeruandum, vt ſemper ob beneficium aliquod in Remp. concedantur. Ita legibus priuilegia non repugnabunt, ſed cum illis felicitatem quoque Reip. ſpectabunt: eorum autem hæc præcipua ratio fuiſſe videtur. Cùm aliquis aliqua in re præter cęteros in Rep. fuerit excellẽs, qui plus adferat in communem vtilitatem, quàm ab eo iuſtè poſsit efflagitari, æquitas ipſa poſtulat, vt pro ijs gratuitis beneficijs, quæ non omnino debebat, à grata Repub. compenſationem adipiſcatur. Poſtulat etiam vtilitas communis, cũ qua ſemper æquitas eſt coniuncta, vt ignauia ciuium, quæ iã paſsim nimium Reſp. grauat, procul arceatur, & vt eorum animi eiuſmodi illecebris

Priuilegiorum origo.

ad virtutem excitetur: ita ciuibus etiam ob facta ſpemq; propoſitam priuilegia conceduntur. Meliùs tamen fecerint, ſi conſcientia ſua & vtilitate communi fuerint contenti. Bene de patria merito ſatis eſſe debet bene meruiſſe: ſi non id, certè beneuolētia ciuium & gloria rei bene geſtæ. Nam qui contra leges aliquid cupiunt & faciūt, ſæpe plus quàm iuuerant lædunt Rempub. & potiùs ſupplicium quàm beneficium commerentur. Sed tamen ob cauſsas iam dictas etiam ciuibus priuilegia concedi poſſunt. Exteri verò, qui nihil Reip. debent, ob benefacta maius beneficium merentur: quæ quidem vtilitas ciuitatis omnia certò menſurat, à qua bonus magiſtratus nunquam mentis oculos deflectat, niſi pariter virtutis officijque ſui deſertor eſſe velit. Non tantùm autem factis, vt iniquis preuilegijs, ſed etiam dictis minimè lædi debet vnquam vlla lex, in bene conſtituta ciuitate. Quoniā enim eſt verum, quod ſcriptū eſt apud Platonem, eam inuentionem eſſe veritatis, ſine qua nec publicam vtilitatē cognoſcat quis, nec etiam ſi cognoſcat ferme ſequi velit, & eam animam eſſe ciuitatis, & eximiū quoddam Dei donum, qui eam violant non patriam tantùm lædunt, ſed etiam Deo magnam iniuriam faciunt, cuius ſingulari beneficentia nobis eſt data. Certè ſine magno

In Menex.

Reipub.

Reipub.periculo contra publica non poteſt rectè concedi vlla priuata poteſtas:idq́; eſt quod dicit idem ille Philoſophus,magis eſſe firmam ciuitatem eam,in qua ſunt imperitiores ij ,quorũ conſilio nõ eſt opus ad Reip.gubernationem : non enim tanta contradicendi cupiditate tenẽtur,qua multas antiquas Reſp.conſidiſſe legimus,& rerum noſtrarum ſtatum non mediocriter labefactari videmus.Sanè neceſſariũ eſt maximorum tumultuum occaſionem præberi nobis,qui tamen pacem & tranquillitatem ſummopere ſequi debemus, ſi quiſque de Rebuſp.nõ tãtùm priuatim iudicare,ſed & decernere poſsit & promulgare. Nos ergo mutare nõ poſſumus,quæ maiore ſunt auctoritate conſtituta, ſed ſi qua non optima videantur, optare poſſumus & debemus,vt eadem auctoritate reſtituantur:nec tamen nos decet eſſe faciles etiam ad publicam legum innouationẽ. Tamen cùm leges Reip.non autem Reſp.legibus accommodetur,cumq́;res & homines continuò mutentur,nec legiſlator imperare fortunæ poſsit,nullæ leges ciuiles eſſe poſſunt æternæ. Quapropter ſumma quadam ſapientia opus eſt,qua cognoſcamus, quid poſtulet emendari,vel etiam immutari, vt auctoritate publica,quæ tamen à priuatis initijs incitari ſæpe poteſt,quæuis malorum occaſiones,

Le.8.de. leges.

Leges ciuiles non ſunt perpetuæ.

ones, modò ſint euidentes, etiam leuiſsimę quęque recognoſcantur & de medio tollantur ab ijs, qui legum poteſtatem habēt. Nam cum homines leuiſsimas quaſq; ob cauſsas in acerbiſsimos morbos & mortes incidiſſe, atque multas Reſp. miſerrimè corruiſſe videmus: ideo principijs etiam minimis diligentiſsimè ſemper eſt occurrēdum. Multos autem à leuibus & interdum probabilibus initijs, eò tādem progreſſos eſſe cernimus, vt eorum errores potiùs indignatione proſequi, quàm reſipiſcentiam vllam expectare poſſe videamur. Fruſtra nēpe riuos obſtruimus, ſi fontes interim laxemus: radices potiùs, & ſtatim quidē, euellendę ſunt, quàm herbę noxiæ conculcandæ: nam facilè tam profundè ſerpunt, vt vix dum poſsint extirpari: bonæ verò difficilè creſcere facileq; marceſcere ſolent, niſi pręceptis virtutis ſedulò foueantur, tum à viris ſapiētibus adinuentis, tum pręcipuè nobis diuinitùs datis. Sequamur igitur ſacrā in omnibus auctoritatem, & ad eius normam componamus tum priuata tum publica, diligenter conſiderantes rerum & animorum naturām, & quàm optimas atque clariſsimas & etiam firmiſsimas leges habeamus, quibus tales viri præſint, qui caſtitate prudentiaq;, ſi quid deſit, egregè ſuppleant. nā ſi iudices incorrupti ſint, facile multarum

Princi- pijs malorum diligēter reſiſtendum.

tarum legum neceſsitatem excludent, perfidis verò multitudo difficultasq; promptam occaſionem exercendę fraudis præbebit. Itaq; veteres optimi legiſlatores, cùm non ignorarent apertiſsima quæq; veritatem maximè referre, paucas quidem, ſed optimas eſſe ſibi leges promulgãdas, & in elegendĩs magiſtratibus ſummam diligentiam adhibendam putarunt.

Dę Cauſsis mutandarum rerumpub.
CAP. XI.

SED quanq̃ optimis legibus vtatur Reſp. & ipſa tota q̃ optimè ſit conſtituta, nulla tamen eſſe poterit vnquã in iſtis rebus humanis æterna: quod quidem P. Scipio non ignorabat, qui dum Carthago deleretur, fleuiſſe dicitur, quòd nullum imperium, ne Romanum quidem, eſſet lõgæuum. Cauſſam autem mutationis Rerumpub affert in Rep. ſua Plato, ſed altiùs repetitam & obſcuriorem, quàm vt latiùs hoc loco ſit explicanda: at eius tamen viri ſenſum breuiter hîc attingere libet. Putat ille, quod etiã veriſsimum eſt, vt reliqua cuncta, ſic & Reſp. ſuis quibuſdam analogijs conſtare, nec in his rebus humanis aliquid vnquam firmũ & perpetuum eſſę poſſe, vnde neceſſe ſit,

Pla. l. 4. de leg. L. 8. Rep.

rationis cuiuſcunque coniunctionis continuò mutari. Ea quæ coniunguntur in Rep. ſunt ingenia ciuium & voluntates, quæ ſe ferme accommodant cõditionibus humanæ corporaturæ. Humana verò corporatura, totius naturæ vicibus paret, quę circuitu corporum cæleſtium gubernantur. Cùm autem hic continuó diuerſus ſit, fit vt ingenia nunq̃ vel paria ſint vel inter ſe cõueniant eodem modo: ingenia inquã, tum ciuium tum finitimorum, qui noſtrã Rẽp. vel iuuare vel lædere poſſunt. Ita qui illis temporibus animoſi fuerant, alijs effœminati redduntur, & qui nunc bene coniunguntur, mutatis corporibus & animis incipiunt non bene conuenire, cumq́; modum exceſſerint, neceſſarium eſt vt diſsipentur tandem, & in mutuam perniciem ruant. Sic videmus in reliqua quoque rerum natura quendam eſſe compoſitionis modum, cuius exceſſus præſentaneum interitum omnibus ſecum apportet. Quapropter Reip. conſeruatores ingenia ciuiũ & eorum analogias omnes exactè cognoſcant, & ęas in deterius vergere nunquam ſinant, ſed potiùs in meliorem aliquam & firmiorem cõſtitutionem continuò transferant, quod ſine cognitione motuum totius naturæ nũquam poterunt egregiè præſtare. Cùm autem cò, præſertim rerum externarum abũ- dantia,

Rerum externa.

dantia, peruenerit Reſp. vt in meliùs proficere non poſsit, tum videtur Plato ſtatum eius ſuſpectiſsimum habere, idq; nobis per ſolidos numeros, eorum quæ iuſtis analogijs conſtabant, nobis ſignificare, qui iam adepti ſunt ſummum ſuum incrementum. Certè medici talem corporis humani conſtitutionem non laudant, quæ melior fieri nequeat: quòd neceſſe ſit, cum nunq̃ res humanę quieſcant, vt in deteriùs vergat: & ideo aliquid detrahi iubent, quo ſit aliquis rebus bonis accedentibus locus: quod quo modo fieri debeat in Rebuſp. cognoſcere magnæ cuiuſdam eſt prudentiæ, latiusque patet, quàm vt hoc loco debeat explicari: ſperamus nobis aliquando tempus datum iri, quo res maximas, ſine quibus hæc quæ nunc tradimus cognoſci nequeunt, pleniùs conſideremus. Nunc autē breuiter mutandarum Rerump. alias nonnullas cauſsas afferemus. Vna verò non minima eſt, quod ſemper præſens rerum ſtatus, vt eſt apud Thucididem, ſubditis &, propter inconſtātiam ingeniorum naturalem, magis vnis q̃ alijs temporibus ſolet eſſe moleſtus. Cùm enim ſemper plus mali quàm boni ſit in rebus humanis, & præſens dolor euidentior ſit quàm futurùs, illi qui cauſsas & exitus rerum non ſatis intelligunt, malūt grauioris alicuius fortunæ periculum accerſi-

rum abundātia ſuſpecta.

Subditis præſens ſtatus ſemper eſt moleſtus.

Principes ſæpe euertunt Remp.

re, quàm præſentem conditionem ſuam æquo animo ferre. Deinde principes ipſi, cùm ſæpe plurimis & maximis vitijs laborent, magnas occaſiones euertẽdarum aut immutãdarum ſaltem ciuitatum præbent. Multos luxus perdidit, vt Troiam, Tarquinium, Sardanapalum, decemuiratum Romanum: In ſacris literis legimus etiam Dauidem ſuorum clade pœnã dediſſe, & hoc vitio duas integras ciuitates funditùs euerſas eſſe. Temeritas Crœſum, puniendi negligentia Philippum Macedonem, Rhemũ diſcordia, Pompeium inuidia, Roboã exigendæ pecuniæ libido perdidit: denique ſingula principum vitia plurimas ciuitates euerterunt. Quòd autem ipſa tyrannis non poſſit vnquam eſſe longæua, ſatis omnibus eſt manifeſtum. Nam quomodo plurimi ciues, inter quos multi fortes & animo generoſo ſunt, ferãt diu vnius perditi iniquiſsimum imperium, cum ſuo maximo dedecore & detrimento: quomodo etiam diu ſuſtineat rem tam magnam & arduam, qui propter vitia abiectiſsimum naturæ locum tenet, & iuſtitiam cõtinuò violat, cuius viribus Reſp. conſtant. Verùm hæc non in monarchiam, ſed potiùs in aliud Reipub. genus commutatur. Tales enim ſæpe ſubditi ſunt, quales ſunt reges: & ideo vnius tyrannis aut in multorum aut omnium tyrannidem

rannidem tranſit: vel ſi populus vel natura, vel experimentis malorum, aut alijs de cauſsis melior ſit, vertitur in politiam: ſi verò nonnulli ſint inter alios inſignes in ciuitate in Ariſtocratiam facilimè cōmutatur. Maximè verò timent vnum, qui ſunt ab vno multum damnum perpeſsi: & ob id etiam difficile diximus reſtitui collapſam monarchiam. Ex Oligarchijs tyrānides, & ex his Democratiæ facile fiunt. Multis etiam Rebuſp. ciuium improbitas exitio fuit, & innumeras quidem cauſsas mutandæ Reip. ſed nullas ferme laudabiles inuenire licet. Itaque legimus in ſacris literis, Deum fuiſſe Iudæis infenſum, dum Regem peterent, non quòd monarchiam non approbaret, ſed quòd etiam illam immutationē ægrè ferret. Nihil autem magis ad conſeruationem Reip. & aliarum rerum omniū valet, ſiquidem Ariſtoteli veritatique fides eſt adhibenda, quàm ſi initia mutationis, etiam leuiſsima quæq;, ſedulò tollantur, & inter cætera præcipuæ cauſsæ ſeditionis, quæ proculdubio Rēp. vehemētiſsimè frequentiſsimeque lędunt. Commouētur autem ſeditiones iniurijs, præſertim eorum qui plurimum poſſunt in ciuitate: deinde, quemadmodū inquit idem Philoſophus, eorum inæqualitate, qui debebant eſſe pares; hoc autem iniquitate legum fieri ſolet, ſi non

Ariſt. l. 3. C. 2. pol.

Ciuium improbitas perdit Reſp.

Ariſt. l. 5 C. 4. 7. 8. Pol.

Seditionū cauſæ.

ſi non diſtribuant,ſingulis ſecundum eam analogiam ,de qua eſt antea dictum. Hac autē non omnes parē,ſed alijs alij ſuperiorem aliquem,& etiam aliqui ſummum locum tenent, quos nos principes ciuitatis appellamus. Oportet vt hi, ſi modò ſuum imperium conſeruaturi ſunt,inter reliquos
Ariſt.l.5. potentiſſimi ſint,ac plurimos & potentiſſi-
C.6.7.9. mos habeant amicos: quoniam Remp.ſæ-
Pol. pe pręſens metus tuetur:oportet vt nemini aliquam regnandi ſpem prębeant: quoniam,nihil eſt quod homines,pręſertim magnanimos , ad omne nefas magis impellere
Ariſt.l.5 poſsit:oportet etiam,vt nec inuidia populi,
C.2.pol. nec indignatione laborent,& ab iniuſtitia præcipuè abſtineant : denique opus eſt , vt propter virtutes amentur , propter potentiam à malis timeantur,qui firmum principatum cupiunt obtinere. In ijs autem Rebuſp.in quibus multi imperant , cauēdum eſt,ne fiant exercitus duces illi,qui Remp. facile occupare queāt : quemadmodum de Pericle , Augusto , & alijs multis legimus: deinde ne diuturni ſint principat⁹:ſic enim, inquit Ariſtoteles,perpetui fieri ſolent. In Democratia,quoniam ciuium ęquabilitas eſt,& officia communi conſenſu conſtituuntur,Philantropia pręcipuum locum ha-
Ariſt.l.6 bet:in Ariſtocratia verò plurimum valet,
C.6.pol. vt etiam in reliquis omnibus,Eutaxia.Cu-
randum

randum ne inferiores, quia liberi ſe pares iudicent,& ne illi qui diuites, ob id ſe purent ſuperiores, ſed vt æquabilitas vbique ſeruetur. Rectè monet etiã Ariſtoteles obſeruandum, vt ſi ab optimo ſuo ſtatu Reſp. declinet, ab ea vitiorũ parte ſemper retrahatur, in quam vergit, & vt firmus ſit eorũ qui ſuſtinent Remp. conſenſus: nam amicitia maximũ obtinet in rebus omnibus momentum, nullumque maius malum in Rep. quemadmodũ nec in alijs omnibus, quàm quod eam diuidit, inueniri poteſt. Quòd ſi Reges præcipuis ciuibus amici ſint, nemo poterit eos de dignitate ſua diſturbare. ſi plures in Repub. principes ſint, primùm etiam inter ſe, cumque ſuis bene conueniant: ſi omnes æquabiliter per vices imperent ciues quod in politia fieri cõſueuit, omnium aut plurimorum cõſenſus firmiter per amicitiam ſit deuinctus. Verùm nõ tantùm ab internis cauſſis, ſed ab hoſtibus externis, de quibus antea diximus, Reſpub. mutantur & euertuntur: & omnibus quidẽ diligenter proſpiciendum eſt, præſertim ijs temporibus, quibus plus periculi nobis imminere videtur, quod conſideratione ſedula noſtrarum externarumque rerum facilè deprehendi poteſt. Deinde cùm tota natura rerũ ſibi cõſentanea ſit, ac ijſdem cauſſis effecta multa ſua ſerie reſpondeant, & homi-

Lib. 5. 6. pol.

Pla. l. 5. de Rep.

hominum etiam animi ferè cum orbium cœleſtium & elementorum motu rapiantur, ſigna frequẽter præcedere ſolent, quoties magna mala genti ciuitatiue alicui imminent, quæ dum viri prudentes animaduertunt, quoniam mens bene formata rebus ſuperior eſt, remedium calamitatibus imminentibus inueniunt aut lenimentum: vt ſi tota Reſpub. in ſuo ſtatu conſeruari ne queat, aliquam potiùs immutationem admittat, quàm vt tota proſternatur: nõ enim tam pertinaces eſſe debemus, vt dum partem aliquam tueri volumus, interim totum vel per bella vel per ſeditionem amittamus: quod plurimis ciuitatibus accidiſſe videmus, quarum hiſtoria lõgior & notior eſt, quàm vt hoc loco ſit proferenda.

Mutationis Reip. ſigna apparent.

Ariſt. l. 9 C. 2. ad Nico.

FINIS.

NICOLAI BIESII GANDAVENSIS ORATIO PRO BONIS Literis, habita Valentiæ, ad ſereniſſimos Calabriæ duces.

CVM LEGAMVS SVMMOS oratores, interdum de rebus nõ admodum grauibus apud populum verba facturos, perturbari ſolitos eſſe vehementiùs, nemini mirùm videri debet, ſi in conſpectu clariſſimorum ſapientiſſimorumque principùm, & in hoc cœtu celiberrimo doctiſſimorum auditorum, me de rebus magnis dicere incipientẽ cernat graui quodam timore perculſum: qui cum ijs, in quorum oculis nunc me video conſtitutum, nec ingenio, nec doctrina, nec exercitatione ſum conferendus. Quanuis autem beneuolentiam veſtram, quæ meritò debet quemuis, quibuſque difficultatibus circumuentum, conſolari, mihi ſperem nõ eſſe defuturam, Principes ſereniſſimi: tamen quantùm incomparabilis humanitas illa veſtra me conſolatur, tantùm & ſumma dignitas animum meum perturbat, & quantùm ſingularem clementiam admiror, tãtùm acerrimum iudiciùm veſtrum reformido. huc etiã accedit, quòd cùm in conſpectum veſtrum nihil prodire debeat,

debent, niſi quod ſit omnibus ſuis numeris abſolutùm, in hoc conſeſſu frequẽtiſſimo doctiſſimorum veſtriq; nominis amãtiſſimorum virorum nulla probari poterit oratio, quæ non vobis dignam, hoc eſt ſummam, contineat & eloquentiam & eruditionem: à qua me longiſſimè profiteor abeſſe. Sed tamen cum rurſus pauló diligentiùs omnia mecùm perpẽdo, & in vobis mãſuetudinẽ reliquis omnibus virtutibus parem, hoc eſt ſummam, deprehendo, nõ video cur ab inſtituto meo debeam tã vehementer deterreri. Dignitas enim veſtra facit, vt vos quantis poſſimus laudibus celebrare & debeamus & velinus, benignitas autem, vt quę dicenda videntur, dicere non timeamus, etiam ſi rerùm propoſitarum pondus oratione noſtra ſuſtinere minime poſſimus, illa quidem vos eſſe ſummos intelligimus, ſed hac etiam infinos vitæ ſuæ ſolatium & præſidium adſequi ſcimus: illa vos eſſe reges, ſed hac gubernari populos, illa vos ſuſpiciẽdos, hac potiùs à bonis omnibus amandos, quàm metuendos, eſſe videmus. Itaque dignitas veſtra mihi materiam, humanitas autem ad dicendum animũ fortem præbere poteſt. Sed quoniam de veſtris virtutibus alius erit aliquando cõmodior, vti ſpero, diſſerendi locus, de ijs iam nihil dicturus ſum, niſi quod cum rebus

propo-

propoſitis fuerit neceſſariò coniunctum. Quum autem in grauiſſimarum & obſcuriſſimarũ in omni intelligendi genere quæſtionum diſceptationibus totus hodiernus dies nobis conſumendus ſit, quas multi, nõ nobis tantùm, ſed omnibus politioribus ſtudijs vehementer infenſi, dictionis ornatu tractari poſſe negant, & cùm omnes ſciant vos maximum quiddam de re literaria promouenda ſedulò meditari, nos barbarorum iſtorum inſaniã, priuſquam diſputationem ipſam aggrediamur, breuiter refellendam, & veram eruditionis dignitatẽ, cum veſtris laudibus coniunctam à nobis hoc loco proponendam eſſe putamus: nõ tam vt vos erga ſtudia literarum & ſtudioſos õnes optimè affectos ad eius patrocinium inflammemus, Principes sereniſſimi, q̃ vt omnibus oſtendamus, quàm laudabile veſtrum inſtitutum ſit, quo, cum omnium bonorum ſumma quadam expectatione, ſtudia bonarum literarum, excluſa omni barbarie, maximum ſuum incrementum in hac vrbe ſunt propediẽ adſecutura. Quanquam verò inter vos, quos omnes ex loco mihi attẽtiſſimas aures prębere video, nullum obtrectatorem doctrinæ ſincerioris eſſe ſuſpicor, viri ornatiſſimi, tamẽ eſt quoddam hominũ genus bonis omnibus & eruditis vehemẽter infeſtum, quod adhuc in-

tolerabilem illam ſuam tyrannidem in om
nes meliores & puriores diſciplinas, & in
his maximè prouincijs, exercere conatur:
in quod hominum genus, ſi pro rerum in-
dignitate, proque meo iuſto dolore acer-
biùs inuehi vellem, hodierno die profectò
efficerem, vt omnes facilè intelligerent, nec
mihi orationem, nec illis aduerſarium de-
fuiſſe. Scitis autem de quibus loquar: ipſi
namque ſeipſos & ſermone & moribus ſa-
tis manifeſtos reddunt, qui barbarico illo
ſuo ſupercilio omnes à bonis literis deter-
rere nituntur, & vobis etiã sereniſſimi Prin
cipes his diebus præſcribere conati ſunt,
vt de tot, tam magnis tanque vtilibus reb⁹
nullus ſit hic mihi diſputandi locus: quo-
rum ego certè grauiſſimum hoſtem ſem-
per me fore iure profitebor. Nam eos, qui
viros eruditos amore proſequuntur, quan-
quam in ſtudijs ornatioribus ipſi perinde
verſati non ſunt, oratione mea læſos mini-
mè volo, ſed vicem eorum potiùs dolendã,
beneuolentiam autem nobis cõciliandam
eſſe duco. Quapropter dũ de bonarum li-
terarum ampliſſimo fructu diſſero, ſi inter-
dum in quoſdam inſanos inuehor, de ijs
hominibus me loqui iudicetis, quibus non
eſt ſatis ignorare, niſi etiam contemnant,
non eſt ſatis non laudare diſciplinas orna-
tiores, niſi eas etiam opprimere conentur:
qui

qui continuò clamitant ſermonis eleganti-
am nihil aliud eſſe,quàm fucum quendam,
quo ſpecies veritatis potius corrumpatur,
quàm exornetur,& hominum mentes ina-
nibus verbis à rebus ipſis abducātur.Quod
ſi verò inſcitiæ ſuæ modeſtiam aliquam ha-
berent adiunctam,eſſet quod eorum cen-
ſuram,quanquā iniquiſſimam,æquiori ta-
men à nobis animo ferendam eſſe putarē:
ſed cum vociferentur inſolètiùs,& machi-
nis ōnibus eloquentiā,rerū omniū bonarū
perpetuā exornatricē,malarū ſeueriſſimam
vltricē,& veritatis optimū inſtrumētū tol-
lere conantur,quanquā ijs ineptis verbis &
argumētis,quibus viros eruditos accuſant,
ſeipſos ſtultitiæ condemnent: quia tamen
perditis impoſturis ſuis & ſimulatæ cuiuſ-
dam eruditionis faſtu apud multos incau-
tos multùm auctoritatis obtinuerunt,om-
nibus modis eorum inſidiæ fuerunt à bonis
omnibus detegendæ. Conſtat autem om-
nibus,qui aliquid ſciunt, eam non eſſe ve-
ram eloquentiam,quę falſo ſermonis leno-
cinio veritatis propriam faciem obducit,
ſed quæ rebus & animis ſemper conſenta-
nea profert,& negotiorum propoſitorum,
quantumuis reconditam naturam omnem
in apertiſſimam intelligendi lucem expo-
nit.Quemadmodum enim ceteræ omnes,
ſic et hæc tam inſignis virtus in mediocri-

tate quadam eſt,nimirum inter barbaricã infantiam,& illam affectatam atque profuſam dictionis oſtentationem. Cùm autem vir eloquens orationem ſemper rebus, & audiẽtium animis omnia debeat attemperare,manifeſtum eſt eum oportere verborum,rerum & ingeniorum eſſe valde peritum,atque adeo qui excellens eſt futurus, doctrina ſapientiaque longè debere reliquos omnes anteire,qui ſola rerum ſcientia ſunt contenti:cùm & harum cognitionem habeant,atque intelligant,quibus verbis res explicentur,& quibus motibus animi noſtri concitentur. At ſi rurſus verum, quod ſcriptum eſt apud Platonem, honeſtum, ſuapte natura pulcerrimum, vbi ſemel conſpectum fuerit, ſui miros quoſdam amores excitare,eloquentia vera cum vitio nullum commercium vnquam habebit,ſed omnium hominum animos potiùs ad res bene gerẽdas ſemper inflammabit, & erit non tantum omnis veritatis,ſed etiã omnis virtutis accommodatiſſimũ inſtrumentum.Eius autem tanta vis eſt, vt cum ea nulla vis alia poſſit vnquam conferri:nã animos omnium hominum ipſa flectit,qui certè ſunt reliquæ naturæ longe ſuperiores:improborum quoſuis conatus facile euertit,in iudicijs,in bellis,in omnibus tum priuatis tum publicis negotijs ſummũ imperium

periũ tenet. Itaque Philippum regem Demoſthenis eloquẽtiam timuiſſe, arma Catilinæ Ciceronis facũdiæ ceſſiſſe, & M. Antonium crudeliſſimos latrones oratione mitigaſſe videmus. Quod quidem minimè mirum videri debet: nam ſi lyræ ſonus potuit magnum illum Alexandrum ad arma compellere, mutatoque tono rurſus eum ad menſam reuocare, quid nõ efficiat oratio bene compoſita? quæ præter verborũ concentum, rerum maximarum quoq; numeros & pondera continet. Eloquentiæ profectò ſumma quædã vis eſt, ad animos hominum impellendos, nec eſt etiam eius minor voluptas: qua tantò quiſque delectatur magis, quantò mentem meliùs formatam habet. Nobis enim ipſius veri boniquè pulcerrimam faciem dilucidè conſpiciendam exhibet, cum omnibus ſuis ornamentis, qua nihil viſu iucundius eſſe poteſt. Si qui verò nequeunt lippis ſuis oculis in hac clara luce verſari, propterea non debebant alijs fortunatioribus eam honeſtiſſimã voluptatem inuidere. Sed fermè fit, vt quemadmodũ vna ſumma virtus reliquas, ita & vnum vitium inſigne ſecũ habeat alia plurima peſtilentiſſimaque vitia coniuncta, & vt, qui mali ſunt ipſi, bonis aliorum minimè dilectentur. Ita dum homines iſti barbari ſummo quodã odio doctrinę purioris

impulſi per fertiliſſimos diſciplinarum cã-pos inſolentiſſimè graſſantur, conculcant ipſam ſegetē,& interim quā plurimas noxias herbas inſerunt:qui cum humana diuinis commiſceant, etiam ſectarum ſemina latiſſimè ſpargunt,per legum ſaltus inſidioſiſſimos laqueos tendunt, veram philoſophiam contaminant,artes omnes corrumpunt:quorum intolerabilis licentia certe compeſcenda fuit,præſertim in his prouincijs,in quibus impudētiùs quàm in alijs ſeſe iactitauit,& ſub vobis maximè comprimi debet Principes ſereniſſimi,quibus virtus omnis ac ſtudium ſapientiæ & eloquētiæ magis quàm vllis alijs eſt curæ. Legim⁹ veteres,vt incorruptiſſimos,ita ab horum ingenio fuiſſe alieniſſimos:videm⁹ ea ſecula maximè ſemper floruiſſe, quæ ſcimus ab eorum moribus longiſſimè abfuiſſe. Talia verò tēpora ſunt,qualia ſunt hominum ingenia: ſi ſqualida, ſi horrida, ſi ſpinoſa,non poſſunt ſtatum rerum humanarum non exulcerare & diſcerpere:ſi exculta,ſi bene formata,ſapientiæ ſucco res omnes cùm priuatas tum publicas per eloquētiam imbuunt,fructuſque plurimos & optimos Reip.producunt.Sed quanquā multa poſſem in hoſtes eloquētiæ dicere,Principes ſereniſſimi,cùm ſciam vos tātùm nobis fauere,quantùm ſperare, imo quātùm
optare

optare debeamus, & bonos etiam omnes pari mecum ira proſequi impudentiſſimos iſtos aduerſarios bonarum literarum, tam multa nō dixiſſem, niſi iuſto quodam odio prouocatus fuiſſem: tametſi, quoniam iam ſignificaui, qui ſint illi, quos oratione mea notatos velim, nemo poteſt queremonijs noſtris offendi, niſi qui ſe grauioribus accuſationibus dignum eſſe profiteatur. Quòd ſi putarem hæc a vobis iniquè ferri poſſe, dolorem meum, quanquam iuſtiſſimum, mihi ſeruarem, vel in locis deſertis rerum indignitatem potiùs deflerem, quàm vt aliquem virum bonum, nedum vos, offenderem. Sed per e Dum immortalē Principes sereniſſimi quis vir bonus eſſe poteſt, qui non mecum hîc dolere cōquerique debeat? quis eſt, qui rerum indignitatem apud vos vobiſque ſimiles poſſit non deplorare? qui videat Muſis ipſis ab ipſa natura verè deſtinatas regiones vaſtiſſima barbarie tā turpiter obſeſſas: ingenia naturà præclariſſima ad ineptias ab ijs eſſe deformata, qui cùm diſciplinas docere videntur, eas miſerrime corrumpunt, qui mores potiùs euertunè, quàm inſtituunt, qui nihil aliud quàm horridè & turpiter clamare, tumultuari, cunctaque miſcere ſciunt. Ego certè iudico longe miſerrimā & à bonis omnibus maximè deplorādam eſſe vicem eorum, qui ſub

 eiuſmodi

eiuſmodi perditiſſimis ducibus, cùm ſub alijs ad optatum intelligendi finem peruenire potuiſſent, ſtudiorum ſuorum incultã, inuiam & inextricabilem hanc viam ingrediũtur. Ceteri enim homines in ſuis negocijs quotidianis ſine magnis animorum curis verſantur, moderatis laboribus valetudini conſulunt, & facilè comparant, quæ neceſſaria ſunt ad vitam: eorum verò, qui ſcientiæ, ſapientiæque deſiderio tenentur, corpora quiete perpetua cõtabeſcunt, animique plurimarum rerum immenſis difficultatibus omninò conteruntur, ſed tamẽ qui tandem adſequuntur, quæ tantis laboribus inquirunt, qui rectum diſciplinarum iter ſequuntur, qui inueſtigationem veritatis eloquentiæ ſtudio coniungũt, ijs æquiſſimo animo quæuis certæ moleſtiæ ſunt perferendæ. Nam præter ſummã ſtudiorũ ſuorũ vtilitatem, voluptatẽ incredibilem, eamque nõ admodum ſeram, poſt primos ſtatim labores, percipiunt. Initia quidẽ rerum honeſtarum ſemper ſunt difficultatis plena, ſed poſt primas moleſtias totum deinceps iter incredibilem quandam cõtinet amenitatem: & quemadmodum Pharmacorum nauſia ſanitatis voluptate, ſic & ſtudiorum primorum tedia ingẽtibus veritatis perceptæ dilitijs compenſantur. At ijs, qui maximis & perpetuis illis ingeniorum

curis

curis atque laboribus nullos fructus, ſed tantùm ſpinas & ſentes colligunt, nihil infortunatius eſſe puto. Nunquam ergo vos ſatis laudare poſſimus, Principes sereniſſimi, qui non tantùm clariſſimis veſtris virtutibus hominum mores inſtituitis, ſed & ſumma ſapientia tam ſedulò veram eruditionem promouetis: quod vtinam poſſem tam eloquentia vobis digna demonſtrare, quàm cupio: vtinam talis eſſem, qui ornamenta veſtra ſumma, non tantùm in hoc frequentiſſimo doctiſſimorum hominum cœtu, ſed & in conſpectum totius poſteritatis exponere poſſem: profectò ſentirent omnes, nec me veſtris laudibus defuiſſe, & vos vniuerſæ Reip. plurimùm profuiſſe. Intereſt autem noſtra non mediocriter, vt talium Principum fama, quanquam nunquã pro dignitate celebrari queat, ad aliorum imitationem, & admirationẽ qui nũc alioqui potiùs ad res alias quã ad virtutes ſunt propẽſi, quã latiſſimè propagetur: maximo verò intereſt Reip. vt doctrinæ ſapientięq; dignitas & vtilitas omnium oculis dilucidè cõſpiciatur, vtque omnes intelligãt quãtùm illis gratiæ debeatur, qui bonas literas õni conatu fouent. Niſi verò illi qui in Rep. plus auctoritatis tenent, magnam eruditionis veræ curam gerant, hiſce præſertim tẽporibus, oportet vt nos omnes non tãtùm

in grauiſſimo periculo, ſed in ſumma deſperatione rerum noſtrarum verſemur. non enim in teſſerarum iactu, non in iocis atq; tripudijs, non in conuiuiorum delitijs & apparatu, ſed in curis & vigilijs eorum virorum, qui doctrina prudentiaque caſus omnes proſpicere, nec non animi magnitudine conſtantiaque, pro virtute quæuis pericula, quaſuis calamitates & mortes deſpicere ſciunt, Reip. ſalus atq; felicitas, hoc præſertim tẽpore, conſiſtit: quę quanquàm ſæpe periculoſiſſimis fluctibus iactata maximiſque perturbationibus obnoxia fuerit, quòd nimirũ Deus optima quæq; plurimis malis ſemper probari, & eo ipſo meliora fieri velit, grauiſſimi tamẽ motus potiſſimùm in hæc noſtra tempora incidere videntur: ad quos ſedandos, bonos omnes, & illos maximè, qui plus ponderis habent, ſummam ſanè diligentiam adhibere, ſapiẽtiæque & eloquentiæ ſtudium excitare, nec non viros ſapientes ſemper in conſilium accerſire decebat. At in his tantis calamitatibus illud maximè deplorandum eſt, quòd nunc tam pauci ſint, qui rebus afflictis & perditis opem ferãt, quòd in tantis perturbationibus atque periculis plerique potiùs rebus ludicris quàm ſerijs adhuc incumbãt, & nec futuras nec præſentes calamitates cernant. Legimus vetuſta grauiſſimaq;

dſſidia multa, quæ totum orbem terrarum concuſſerunt: ſed tamen in maximis tempeſtatibus videmus ſemper viros aliquos & prudentiſſimos & optimos rebus periclitantibus ita præfuiſſe, vt in medijs procellis animo infracto ſummaque ſapientia & pietate Remp. tuerentur. In initijs noſtræ religionis fides Chriſtiana quantis machinis oppugnabatur, quàm multis quanque truculentis hoſtibus erat vndique circumuenta, & quàm pauci erant illius defenſores, vt nihil deploratius rebus Chriſtianis eſſe videretur. Sed tamen illi pauci, quanto animo certarunt, quàm omnia ſua priuata, vitamque propriam pro ſalute communi contempſerunt? ipſi morum integritaté, fide, conſtantiaq; tam latè religionem propagarunt, eamque talem & tantam nobis fecerunt, vt niſi mutuis diſſidijs omnia miſceremus, niſi, quæ bene ſunt à maioribus conſtituta, ſemper mutationis auidi, in deterius vertere conaremur, eorum inſtitutis freti, facilè poſſemus priſtinam dignitatem Chriſtianam tueri. At verò pròh dolor, nūquā grauioribus & periculoſioribus morbis, quàm nunc laboratum eſt, & nūquàm Reſp. tam fuit omnibus ſuis remedijs deſtituta: nunquàm ſtrenuis multis defenſoribus magis habuit opus, & nunquàm rariores tales in Rep. viri fuerunt, quorum clariſſimas

riſſimas virtutes doctrinā, ſapientiamque ſummam reliqui imitentur: in quibus certè, cùm ſine plurimarū rerum cognitione actiones humanæ rectè inſtitui nō poſſint, tota ſpes ſalutis cōmunis eſt collocata. Viciſſitudines rerum humanarū à certis quidem, ſed abſtruſiſſimis ſæpe cauſſis proficiſcuntur, quarū progreſſum niſi quis cernat, quantumuis ipſe cupiat, nō poterit tamen ſe bene rebus gerendis accommodare, ſed ferme contra naturæ motum impulſus, & eius ordinem turbabit, & fractus ipſe concuſſuſque miſerè cum ipſa Rep. procumbet. Quemadmodum enim in medijs tempeſtatibus & vndis maximis diſcriminibus nauis expoſita eſt, niſi peritus nauclerus eam gubernet, ſic humana quoque negotia, in tam vario periculoſoque mari, ſuam incolumitatem tueri non poſſunt, niſi virtute & ſapientia magnorum virorū regātur: vnde cognoſcere facilè lumē quanti referat Rerump. moderatores literis & diſciplinis eſſe diligenter inſtructos. Sed q̃quam in Principibus illuſtriſſima quędam & vtiliſſima res ſit eruditio, quoniam tamē tot negotijs tanque arduis diſtracti, non poſſunt rebus abſtruſis intelligendis liberum animum adhibere, ideo qui meliores & prudentiores vobiſque ſimillimi ſunt, nihil ſine prudentium conſilio ſibi faciendum

dum eſſe putãt,& interim etiã nihil præter mittunt,quò & ipſi quoque cõtinuò docti-ores & ſapientiores fieri poſſint,ac vt in Rep.ſua plurimos eruditiſſimos & ſapien-tiſſimos viros habeant,modis omnibus ef-ficere conantur. Quòd ſi verò multi iam eſſent tales,nec viri boni tantas querimo-niæ,nec Reſp.tantas ruinæ ſuæ cauſsas ha-berent.Nunc autem eò calamitatis deuen-tum eſt,vt à multis eruditi viri fere negli-gantur,contemnantur,& reijciantur : ſine quibus tamen res humanæ vel rectè inſti-tui,vel,quantumuis rectè ſint inſtitutæ,cõ-ſeruari nõ poſſunt.Sed hæ querimoniæ nõ ſunt huius loci.Quia verò quantò plerique minùs fauent eruditioni,tantò defenſores eius ſunt à nobis magis celebrandi,omnes docti vos meritò Principes ſereniſſimi,pro pter admirabiles veſtras virtutes,& erudi-tionis atque ſapientiæ patrocinium, ſum-mis laudibus ſemper extollent,vident pru-dentiam iuſtitiamqùe veſtram ſummam in negotijs omnibus diſcernendis & mode-randis,& vident reliquas etiam virtutes õ-nes inter ſe de Principatu certantes,inter quas tamen incomparabilis illa clementia, quia magis eſt regia,magis elucelcit.Virtu-tes õnes & iuſtitiã ipſam in theatrũ exponi-tis,ſed perſona manſuetudinis ſemper in-dutam.Nec tamen animi tui magnitudinẽ

minùs

minus admirãtur Princeps ſeremſs. in quã latiùs mihi nunc digrediendum putarem, ſi non eam aliud tempus deſiderare viderẽ, & te malle ſummis laudibus digna facere, quàm tuas vllas laudes audire ſcirẽ. Oporteret etiam altiùs rerum maximarum originem repetere, & plurimos maximoſquè reges maiores tuos oratione noſtra celebrare, ac acerbiùs proſequi vices rerum humanarum: quandoquidem omnis fortitudo potiſſimùm in ipſam fortunam exercetur. Hoc verò quamuis cum ſumma tua laude, non tamen ſine ſummo noſtro dolore facere poſſum. Illud autem vnum dicã pręter huius regionis felicitatem, ad immortalem tuam gloriam factum eſſe, vt cùm omnes virtutes abſolutiſſimas teneas, oblata materia ſit, in quam eas omnes poſſis exercere: & quanquam fortunæ nihil debeas, ob idipſum illi te plurimum debere, quòd cùm omnia teneas ſumma, nullam laudis partem ipſa ſibi vendicare poſſit, ſed omnia ſummæ virtuti tuæ ſapientiæque tribuere cogatur. cui etiam propterea gratiam debes, quòd ſtudiorum, doctrinæ, ſapientiæque tibi dederit inſignes occaſiones, quæ proculdubio reliquis rebus omnibus humanis præferri debet, & in animis, qui varijs & late patentibus rerum ciuilium periculis & perturbationibus occupantur, perinde

perinde commodum locū habere nequit. Memini verò te dicere ſolitum, in maximis tuis calamitatibus, te tantàm operam grauiſſimis ſtudijs dediſſe; vt ingentia volumina doctiſſimorum auctorum, non tantùm perlegeris, ſed eorum ſententiam omnem fere memoriæ mandaris: quæ laus in tali Principe tanta mihi videtur, vt meritò debeat in omnium oculis & animis perpetuò verſari. Non enim, vt reliqui, tu propter ea quæ ſunt in arbitrio fortunæ, queremonijs mœroreq; generoſiſſimum tuū animū tibi frāgēdū, ſed virtutib⁹ & eruditione potiùs cōtra quoſuis caſus eū muniendū & corroborādū eſſe iudicabas. Itaq; mirum nō eſt, cùm ipſe tam ſtudioſus & doctus ſis, quòd viros omnes ſtudioſos tanto proſequaris amore: propter quē amorē ſtudioſi doctique te certè viciſſim amare, & laudes tuas in omnium oculis conſtituere debēt. Summa verò Dei opt. max. beneuolentia factū eſt, quòd talem habeas etiam coniugem, quæ, præter alias omnes virtutes ſummas, doctrinæ quoque gloriam ſibi meritò vendicat, & viris doctis tam ſedulò patrocinatur. Tantum autem virtutis omnis ſpecunem non præſentibus tantùm, ſed omnibus hominibus omnique poſteritati cōſpiciuum eſſe, & etiam memoria rebus humanis prodeſſe decebat, Omnia verò, etiam

ſumma

ſumma quæque, celerrimè præterfluunt, niſi literarum beneficio conſeruentur aduerſus obliuionem, neceſſariam comitem diuturnitatis:& propterea diuina prouidētia factū eſt,vt in ea virtutes omnes ſummę cùm ſapiētiæ & eloquentiæ ſtudio ſint cōiunctæ.Multi quidem fuerunt olim clariſſimi Principes,ſed tamen nunc paucorum gloria viuit,quia pauci fuerunt , per quos viueret:quorum virtutes ſi literis doctorū virorum mandatæ fuiſſent,& eorum memoriam celebrem,& exempla plurima clariſſimaquè rerum bene gerendarum ab ijs haberemus.Tuâ verò beneficentiâ ſereniſſima Princeps,qua doctos omnes & ſtudioſos tam ſedulò proſequeris,ante multum tempus multos nos viſuros eſſe ſperamus, quorum monumentis omnis poſteritas vehementiſſimè & delectetur & iuuetur , in quibus & tuum & tui ſimilium virtus æternis literis erit deſcripta.Nam te maximum quiddam animo concepiſſe ſcimus,à quo ſummam felicitatem,huius maximè prouinciæ,pendere non dubitamus,cuius publicum cōſpectum omnes ſummis votis expectamus.Tanta verò hic eſt äeris temperies,tanta agrorum amœnitas, tanta fertilitas ingeniorum,ſi rectè colantur,vt conſtanter affirmem,in toto terrarum orbe nō eſſe regionem aliam Muſis accommodati-

orem.

iorem. Multa dicere poſſem de gẽtis hu-
manitate, magnificentia, ceteriſque virtu-
tibus, ſed plura quàm dicerem prætermit-
terem, nec etiam hic locus in eas me nunc
latius digredi permittit. Cùm igitur omni-
bus alijs bonis hæc Hiſpaniæ pars abũdet,
per te, literarum acceſſione, proculdubio
aliquando omnium aliarũ prouinciarum
eſt longè feliciſſima futura. Quantò verò
Valẽtina regio felicior eſt, tantò Muſæ ma-
iorem gratiam tibi debebũt, & vt ſunt gra-
tæ, certè referent. Dum præſentẽ huius vr-
bis ſtatum intueor, maiorẽ equidẽ ex ea, q̃
ex alijs vllis, quas tamẽ vidi innumeras, per
cipio voluptatẽ: ſed incredibilem percipere
mihi videor, dũ proſpicio felicitatẽ illã õ-
nẽ futuram: dum ingenia tam multa tamq;
eximia video, omniq; genere doctrinarum
optimè exculta: morum inſuper elegantiã
ingenijs cõſentaneam, & eloquentiã ſum-
mã totam in tuis virtutibus occupatam.
Nullus erit in toto terrarum orbe, cui non
licebit tuas laudes, non quidem plenas, ſed
tamen immenſas audire. Quid poſteritas
omnis? quantis cõgratulationibus tuã me-
moriam proſequetur, dũ gloriabitur Mẽ-
tiam Mendociam, illius Roderici, Zeneti
Marchionis inclitam filiam, magni Cala-
brorum ducis coniugem meritiſſimam,
præter virtutes omnes ſummas, quibus im-

mortale proculdubiò nomen cōmerebatur, tanto fuiſſe erga bonas literas amore, vt ijs Valentinā regionem illuſtrarit & beatam fecerit, & Muſas etiam ipſas, quæ per eam omnibus gratijs afluentem locum ſint adeptæ. Adde quòd tot libri tam eruditè, tamq; eleganter cōſcripti tuum nomen in fronte oſtentabūt, tibi ſe debere fatebuntur, quòd cōcepti ſint, quòd editi ſint, quòd apertam lucem videant, & quòd ſemper, immortalibus tuis laudibus communique vtilitate pleni, cum ſumma gloria viuent. Id ego profectò tantum eſſe iudico, quo maius in rebus humanis non poſſit optari. Nam forma, robur, diuitiæ, ceteraq; eius generis, quòd nec tam præclara ſint, nec tā vtilia, nec tantam voluptatē adferant, omnibus, qui aliquid mentis habent, eſt ſatis manifeſtum, & interim etiā facillimè celerrimèq; in interitum ſuum vergūt. Quanq̃ autem nobilitas in poſterū propagari credatur, non tamen video quomodo poſſit in tanta tamq; repentina cōmutatione rerum humanarum, ſine literis attingere ſenſus diuturnæ poſteritatis. vel enim filij degeneres maiorū ſuorū gloriam extinguūt, vel, ſi paulò vehementiùs incaleſcat eorum virtus, parentum ſuorum lucem obſcurant: & tandē ſine literis neceſſarium eſt, vt memoriam ſuorum obruat multiplex ſe-

ries & ordo nepotum. Eloquentia verò, magnorum hominũ laudes nunq̃ patitur intermori,ſed ea,quæ lõgiſſimis diſtant,vel tẽporum vel locorum interuallis,ſic omnium hominum oculis exponit,vt,q̃ ſi eſſent præſentia, multò clarius cerni videantur. Non negarim ego,quin plurimum maioribus tuis debeas,quòd in tali natus ſis familia,quæ meritò nobilitatis atq; virtutis ſummam gloriam tenet.ſcio te plurimum debere patri tuo,non tantum quòd te talẽ genuit,verum etiam quòd incredibili fortitudine cõfectis pro patriæ ſalute periculoſiſſimis bellis,maximã ſui nominis laudem,ac inſignẽ Principatum tibi reliquit. Sed tamen ſi rectè cõſideremus,multò plus tibi maiores tui debẽt,q̃ tu debeas illis.ab illis accepiſti quidem nobilitatẽ:ſed tu nobilitatem eorum illuſtriſſimam & æternã facis.parentes tibi vitam dederunt:tu illis reddis nominis immortalitatẽ.illi tibi fortunas ampliſſimas reliquerunt:ſed tu diuitijs,quibus alij abuti ſolent, dũ literas promoues,tibi tuiſq; gloriam cõparas immortalem,quæ certè cum fortunæ bonis nullo modo poteſt conferri.Cùm itaq; tanta dignitas & vtilitas literarum ſit Principes ſereniſs. oportet vt,quemadmodũ hactenus feciſtis,ſtudia literarum omni conatu promouere pergatis,nec vnq̃ ab hoc honeſtiſ-

ſimo veſtro inſtituto, quantumuis alij multi reluctentur, vel minimũ vos patiamini dimoueri. Quanq̃ bonæ literę, quæ hîc antea proſtratæ, cõcultatę, & miſerrimis modis afflictæ fuerunt, veſtro numine iam recreari, ſubleuari, & lucem hanc iucundiſſimam intueri coeperunt: ſtudioſos tamen omnes, propter ſapientiam veſtram ſummam, & amorem ſingularẽ eruditionis, cũ incredibili beneficentia liberalitateq; cõiũctum, maiꝰ adhuc, immò maximum quiddam expectare video, & vehementer rogare, vt immortalem gloriam veſtram, quæ & noſtrûm omnium ſalutem continet, & ſine literis iuſtum ſuum ſplendorẽ obtinere nequit, ad ſummum ſuum incrementũ perducatis, nec eam vllis occaſionibus imminui velitis. Omnes in vos iamdiu oculos intentos habent, omnes opem veſtram efflagitant, nec iam tacitè, ſed aperta voce rogant, vt expleatis bonorum omnium conceptam expectationem. Non eſt ſapientiæ veſtræ, pręſentem oportunitatẽ pręteṛmittere, quæ vbi ſemel elapſa fuerit, perinde facilè recuperari nequit: non eſt fidei veſtræ eos negligere, qui ſe totos patrocinio veſtro ſubmiſerunt: non eſt magnanimitatis veſtræ, nihil omnino curare, quid de vobis poſteritas omnis loquatur. Quanq̃ enim in omnibus negotijs potius virtutem, quã

laudem

laudem ipſam ſequamini,tamen quoniam eſt illius hæc neceſſaria comes,ſumma veſtra virtus ſummis etiam laudibus celebrari cupit.Videmus viros bonos omnes,præſertim Principes,etiamſi aliud agant,tamē ſemper impelli ad ea,quæ cōferunt ad laudis aliquod incrementum,malos autē omnes,vel tum,cùm propter laudem virtutem maximè ſimulare volunt,dedecus & ignomimam nunq̃ euadere.At eloquentia ſapientiæ neceſſaria comes,& vnicum veritatis inſtrumentū,in magnorū hominū laudibus celebrandis libenter occupatur:barbaries autem, nimirum res turpiſſima,peſtis ingeniorū & veritatis,cùm ipſa digniſſima ſit quæ ſtatim intereat,quî poſſet ab interitu famam aliorum vindicare. Itaq; nemini dubium eſt,quin diuino conſilio factum ſit,vt in hac vrbe ſapientiæ & eloquētiæ ſtudium per vos floreret:tum quo plus vobis debeat Valentia, tantam felicitatem adepta,tum quò maiorem gratiam referre ac immortali facundia veſtras virtutes celebrare queat.Eodem cōſilio breui futurū cōfidunt omnes,vt hæc ſtudia per vos adhuc multò maiores honores cōſequantur, & ampliſſimos fructus ferant:quoniam vident vos eſſe tales,qui nō niſi ſumma omnia facere cōſueuiſtis. Cumq; iam ex euidentiſſimis argumentis,quę dediſtis,max-

imam ſpem cõceperint de ſtudijs Valentinis augendis & exornandis, ſperant etiam fore, vt alij Principes cõſpecta veræ doctrinæ dignitate & vtilitate, veſtrã ſequantur auctoritatem & exemplũ, ac profligata barbarie, vera eruditio ſuum honorẽ & exiſtimationem vbiq; cũ ſumma Reip. totius felicitate, cõſequatur. Dici verò non poteſt, quãtùm vnius ciuitatis inſtitutis & morib⁹ vniuerſus ſępe terrarũ orbis iuuetur. Quòd ſi præteriti tẽporis res geſtas memoria repetere velimus, inter alias õnes Reſp. vnam Romanam & in bello & in pace ſuum obtinuiſſe principatũ inueniemus: cuius legibus, cũ eas æquiſſimas eſſe cernerent, aliæ gentes negotia ſuà cùm publica tum priuata libenter accõmodarunt, & eo ipſo ſuas quoq; Reſp. lõgè feliciores reddiderũt. Reſ. verò Romana ſuã omnem dignitatem ſuorum ciuium ingenijs & ſtudijs proculdubio debebat, ſine quibus nõ ſolum in tantã poſteritatem memoriã ſuam nõ propagaſſet, ſed ne tum quidem alicuius nominis ipſa fuiſſet. õnis enim eius gloria ferè, à ciuiũ ſtudijs profecta, monumẽtis literarum cõtinebatur, quibus etiã eſt in vniuerſum orbem terrarum tranſmiſſa. Verùm ſi rem õnem paulò diligentius conſideremus, omnis ea laus vni Atheniẽſium vrbi ferè debetur, & eam etiam omnem ipſæ Athenæ pau

eorum virorum ingenijs atq; ſtudijs referre debent acceptam, è quibus tanquam vberrimis fontibus, omnes diſciplinæ, quibus vita noſtra excolitur, emanarunt. ab ijs ſapientiæ primum ſuum ſuccum omnes alij populi hauſerunt. vnde cognoſcere licet, quantum ſæpe ad omnem omnium locorum & temporum felicitatē paucorum virtus poteſt: quibus, cùm propter eos & alij laudati ſint, & eius facti participes felicitatis, certè plus quā omnibus ſucceſſorib' laudis debetur. Simile quiddam per vos ex hac vrbe ſperamus. Nam ſi tales diſciplinarum conſtitueritis profeſſores, quales virtus & ſapientia veſtra requirit, ij plurimorum ingeniorum fertiliſſimos agros optimè excolent, qui copioſiſſimos & optimos fructus proferant, in maximos vſus generis humani. Boni enim diſcipuli, à bonis præceptoribus boni magiſtri fiunt, qui latiùs diffuſi in diuerſiſſimis regionibus feliciſſimè imbuunt plurimorum animos optimis quibuſq; diſciplinis. Sed iam apud vos, qui dignitatem eorum ignorare non poteſtis, nimis multa de ſtudijs literarum dixiſſe videor, hoc præſertim tempore, quo doctiſſimi huius prouinciæ viri, de rebus grauiſſimis mecum ſunt diſceptaturi: qui cùm ea, quæ diximus, optimè intelligant, vt ſatis amplum differendi locum habeant,

orati-

orationis meę finem expectāt. Verū,quoniam multi homines barbari & ſeditioſi meum hoc inſtitutum vehementer improbarunt,& veſtrum inſtitutum de re literaria promouenda,quod non poteſt ab omnibus bonis non approbari, repræhendere non deſinunt: viſus ſum mihi facturus operepretium,ſi & illud hominum genus breuiter refellerem, & honeſtiſſimum deſiderium veſtrum laudarem, hoc loco,in quo de rebus obſcuriſſimis in omni fere genere diſciplinarum,qua poterimus dicendi paucitate & perſpicuitate, diſputaturi ſumus, hic autem dies totus longam adhuc inquirendi veri nobis occaſionem eſt exhibiturus,quamuis hac oratione noſtra breuis illi particula ſit adempta. Deinceps igitur ornatiſſimi & doctiſſimi viri proponetis,quæ ad cognitionem harum pulcherrimarum pertinere putatis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

2.13

LEGATORIA AL PANDIMIGLIO - ROMA -
1971